GEORGII VVOLFFGANGI VVEDELII

INTRODUCTIO IN ALCHIMIAM.



Sumptibus
IOHANNIS BIELKII, Bibliop.

IENÆ,
Litteris CHRISTOPHORI KREBSII,
ANNO MDCCV.

PRÆFATIO

Ad Lectorem beneuolum.



Otabilis eſt ſententia Sacerdotis cuiusdam Ægyptii apud *Platonem in Timæo*, ad Solonem, ſapientiſſimum virum: Ω Σόλων Σόλων, *inquiebat*, Ἕλληνες ἀεὶ παῖδές ἐστε, γέρων δ' Ἕλλην οὐκ ἔστιν. *O Solo Solo, Græci pueri ſemper eſtis, nec quiſquam e Græcia ſenex.* Cur iſtud diceret, percunctante Solone, reſpondit idem: quia iuuenis ſemper vobis eſt animus, in quo nulla eſt ex vetuſtatis commemoratione priſca opinio, nulla cana ſcientia.

Applicari hoc poteſt tum ad alia varia, tum inprimis ad artem diuinam, quam Alchimiam vocant, ab Ægyptiis ſi non inuentam, ſaltim maxime excultam. Sane quilibet literaturæ elegantiori operam nauans, niſi ab hac decus ſibi aliquod fœneret, vix ad perfectionem debitam adſpirare poteſt.

Et mirandum ſane, ita tectam & occultatam fuiſſe per plurima ſecula, priora illa, vt Græci non niſi pauci, iique paulo ſerius, in huius peruenerint notitiam, poſt, quam ſapientioribus Philoſophis quibusdam e re viſum fuit, ad Ægyptios, velut ad ſacrarium quoddam omnium artium & ſcientiarum, peregre abire, indeque mutuari, quod ipſis deeſſet.

Europæi denique a Græcis & Arabibus ad ſe deriuarunt eiusdem notitiam, & mirum quantum velut certatim profecere vlterius, vt quod de Græcis Ægyptius effabatur, idem de noſtratibus dici poſſet a Græcis & Arabibus, de illis puta, qui dedignantur hæc delibare, nedum ſcrutari intimius.

Mirandum eſt, etiam ſuperiorum ſeculorum decurſu, in media quaſi barbarie, quamplures artem excoluiſſe, & de eadem ſcripſiſſe, vbi ceteroqui in reliquis medicinæ partibus inſigne fuit & longius durauit ſilentium. Adeo & in clauſtris & cœnobiis cognita

ruit, &, quod non minorem meretur admirationem, circa eadem tempora Templa fuere condita, elegantiſſima & pretioſiſſima: quod, ſi ad noſtra referatur, vix poſſibile fuerit, citra artis huius ſubſidium.

Semel iterumque conati ſumus ad adyta hæc penetrare, non irrito & ridiculo conatu, vel luxurie perdendi æs, vel ſpe auara lucrandi, ſed cupidine indagandi & luſtrandi diuinæ ſapientiæ abyſſum etiam in naturalibus hiſce.

Cumque ſobrio hoc procedendi modo non parum delectati fuerimus, quin & informati, non modo conati ſumus vno alteroque ſpecimine ex antiquitate eruere veritatis & ſcientiæ ſcintillas, ſed & velut compendium quoddam eniti, quomodo & concipi poſſit idea huius ſapientiæ, & propitio numine vlterius prouehi.

Auſi ſumus hinc, forſan primi, in Academiis exercitio priuato ſelectiora ingenia ad hoc ſtudium inuitare, eademque excitare, vt communi vel diuiſa opera ſoluantur ænigmata, ſeparentur inutilia, explorentur arcana, parcatur vna inutilibus ſumptibus, omniaque, Spiritus Sancti auſpiciis, ad diuini nominis gloriam & humani generis commodum impendantur.

E re hinc viſum eſt edere leuidenſe hoc opuſculum, ſiue aliis placeat conferre operam mutuam, ſeu ad amicabilem ſaltim ſenſum trahi, vt mitius ſentiant de theſauro hoc, nec nudo contemptu artem proſequantur. Vtut enim multi ſint, quod in prouerbio eſt, thyrſigeri, pauci Bacchi; meretur tamen exquiri veritas, & perlæ vel e ſterquilinio ſeligi.

Optandum foret, vt magnates, quorum bona pars penetrarunt intimius admiſſi in hæc ſacraria, & de tali honeſtiſſima ſocietate inſtituenda cogitarent, vel ſaltim fauerent maiori gratia genuinis artis filiis, ſecuri ſic futuri a fraudibus, non ineſcandi ad fruſtraneos & immenſos ſumptus, demerituri ſumme vniuerſam rempublicam, medicam & literariam.

Finio hocce voto, certus magis profici ſimplici ſcrutinio, vel ϛοχασμῷ perito, quam vana diſceptatione, calumniis, ſarcaſmis, quæ mirum eſt hodienum adhuc celebrari tam culto alias ſeculo. Vale Lector beneuole, & conatibus noſtris benigne faue. Dab. Ienæ M DCCV. D. IV. Iul.

I. N. I.



I. N. I.

INTRODVCTIONIS IN ALCHIMIAM

CAPVT I.

Ratio Instituti.

§. 1.



INtroite, etiam hic Dii sunt, aiebat olim Philosophus, in contemptam casulam suam inuitans prætereuntes. Idem de Alchimia, vulgo dicta, laudari potest eiusque scriptoribus. Exosa medicis, explosa vulgo, male audiens communiter, nihilominus erigere caput audet, vel contemptu solo tuta, & arcens indignos.

§. 2. Enimuero iam dudum tralatitium est, nullum librum tam malum esse, quin exinde discere aliquid possis. Et turpe est, damnare non lectos, nec examinatos & ad incudem iudicii vocatos. Imo præstant omnino

ſcriptores hi aliis non paucis, quibus otium & tempus ſæpe teritur inutiliter.

§. 3. Non negligenda ſane ars, etiamſi ſub ſordido pallio latitet, nec plenis buccis decantetur: vt auro & gemmis ſua manet dignitas, etiamſi in fimeto vel ſterquilinio recubent. Sublimior eſt, quam prima fronte apparet, & plura præſtat, ſi rite æſtimetur, quam promittit, licet id videatur paradoxum.

§. 4. Neque damnanda eſt hinc ſimpliciter, & ſic exterminanda, quin rei inquiſitio perquam eſt neceſſaria; prius cognoſcenda, quam ames vel reiicias, ignoti nulla cupido, nullum iudicium, nullum æſtimium.

§. 5. Non ignoranda eſt eruditis quibuscunque, ſi quidem ſolidam eruditionem venentur, idque per alias occupationes liceat; ſi quid aliud enim, ſane Alchimia facit ad πολυμαθίαν & literaturam.

§. 6. Diuina ars ab ipſa origine nunquam non habita, licita eſt & honeſta. Et ſola etiam ſcientia iucunda eſt, medicum apprime decet, ornat eruditos omnes, quos cedere in hoc non raro ipſis plebeiis mireris non immerito.

§. 7. Quid vero honeſtius, iucundius & nobilius, quam exercere ingenium in eruendis arcanis naturæ profundisſimis, in maieſtatis diuinæ operibus abditis & inexhauſtis, & naturæ miniſtro & humano intellectui in genere decenti ſcrutinio.

§. 8. Curioſisſimum hoc eſt, aliis omnibus contra, & vtile, modo ſobrie philoſophemur, dicto & monitis audientes ſapientum, quod ſatis ſuperque inculcant. Delectat & prodeſt: delectat & ſatiat animum ſciendi auidum, prodeſt non vno modo.

§. 9.

§. 9. Neque tamen totum requirit hominem, vt nonnullis visum est, ad πάρεργα potius honesta merito referenda, cauendo sedulo, ne intempestiue quis arti se vel dedat ac immisceat, vel efflictim inhæreat, instar perditi amatoris.

§. 10. Imo, si vel nulla alia ratione consultum foret Alchimiæ operari, vel solum hoc suffecerit, ne fallaris, vt ceu filo Ariadneo e labyrintho hoc eluctari liceat. Felix, quem faciunt aliena pericula, vel fida potius manuductio, cautum.

§. 11. Cum itaque & sola speculatio sufficiat Philosopho, cum & de non-entibus ipsis fiat scrutinium, cum Geographi etiam non visa doceant ac tradant amœniter, & suus inde fructus Theologis, ICtis, Medicis inprimis & Reipublicæ vniuersæ maneat; non oleum & operam perdemus in instituto nostro.

§. 12. Seorsim duplici nomine hæc aggredi inter alia voluimus. Si vllibi, sane & hic valeat: dum doceo, disco. Liberum minimum sit, philosophari de scriptis, de gestis, de communiter agitatis, idque eo magis, quo minus certum est tyronibus, quid eligant, quos & quomodo legere, nedum intelligere ac ratiocinari de his possint ac debeant, vel ad opus ipsum se accingere.

§. 13. Agmen claudat pietatis momentum. Ausim enim omnino verum adserere Philosophorum effatum, Chimiam vel inuenire, vel facere pium, quod vel solum anniti operæ pretium fuerit.

CAPVT II.

De

Obiectionibus seu inuectiuis contra Alchimiam.

§. I.

NOn inconsultum fuerit, statim in limine quoque firmare animum, & contradicentium etiam doctissimorum delibare, nec intacta relinquere, effata contra decoctores, seu ipsam potius rem, si non Chimiam vniuersam, saltim transmutatoriam hanc directa.

§. 2. Impossibilem esse arguunt specierum diuersarum immutationem, seu naturam spectes, quæ eandem abhorret, seu artem, quæ non vltra naturam sapit. Suauia hæc deliramenta ingeniorum otiosorum, quæ instar auri foliati extendant & inflent hominum spem, non satient, sed destituant.

§. 3. Præsumptionem hanc rentur instar pestis seu contagis se habere, vt & Sinenses scribantur absurdo studio gemino dediti, conficiendi auri, & mortalitati se eximendi. Qui facile credit, facile decipi, imo semel hunc labyrinthum ingressos extricare se non posse, sed quasi fascinari, vt Iouem lapidem iurent, se nosse artem, vel possidere lapidem, cum nihil minus sciant.

§. 4. Quisquis amat ranam, etiam hic valere, ranam putat esse Dianam, seu lunam Philosophorum. Nec ob-

obſtare, quæ egregio eloquio, multisque coloribus ad producendum ſuum opus adferunt, vanos & irritos eſſe labores omnes, theſaurum carbones.

§. 5. Obſcura eſſe omnia, quæ ſcribant Alchimiſtæ, & hoc ipſo recondi & occuli fraudes, quas vel aliis ſtruunt, vel ſibi ipſis fingunt, decepti ſomniis infinitis, vt reuera quoque in delirium abrepti, ſeu mentis ſaltim quodam ſtupore laborare peruerſo videantur.

§. 6. Diſſona minimum tradi, abſurdis & incognitis terminis ludi, vt quo plures legas, eo reddaris incertior; ſi inueſtiges adeptos ſe profitentes, vel non inuenias, vel deceptores potius, vel ſaltim tenaciſſimos, parum, vel nihil de ſuo arcano communicantes.

§. 7. Proceſſus ſi deſideres, reperiri integra plauſtra, vendi ſumma auri non minima, elaborari cœco impetu, in fine abire in fumum & cineres omnia. Sin fraudes æſtimes, mereri illas ſeorſim expendi, vt eandem chordam trahere obſeruentur luſores & alchimiſtæ, vt tandem vel in crucem acti legantur, detectis criminibus, vel ſaltim ad miſerrimam pauperiem detruſi, ipſius *Penoti* exemplo, cuius adagio hæc ars ſit peſſundandi, cui male velis, modo vt alchimiſta fiat, perſuaſeris.

§. 8. Quis ergo ineptiis his vacare velit, & ſi non alia incommoda experiri, ſaltim contemptui & ſcommatibus vulgi ſeſe exponere? Demus, magnates ſuſtinere poſſe hoc onus, & erogare ſumtus, reliqui ſub mole illa ſuccumbunt omnino. Viſi hinc, quibus res ad ſpiritus vini deſtillationem, ad nitri confectionem, ne dicam ad fraudes alias, ad reſtim ipſam, ac mendicitatem, rediit.

§. 9. Imo, ſi rem acu vel minimum tangas, pericu-

Iosæ plenum opus aleæ ſubeas, adeo hinc carceres, tormenta, aliaque præſto ſunt, quibus gaudia concepta luas; ne dicam de περιεργίας huius in ſacris quoque damnatæ viſæ veſtigiis, *Actor. 19, 19.* aliisque auiis, in quæ præcipitat homines non tantum obſcuros & malæ fidei, vnde in prouerbium fere abiit: mentiris vt alchimiſta; ſed etiam melioris conditionis & commatis.

§. 10. Tacemus, quæ integris libris contra Paracelſum conſcripſit *Thomas Eraſtus*, vbi plura legas argumenta, & aliunde huc referenda facile, cui tamen ſatis fecit *Gaſto Claueus*. Ex quibus, aliisque concludendum fuerit, artem eſſe vanam & tantum non ad ſuperſtitionem illicitam, ad Diaboli illecebras (quem nonnulli ſollicitaſſe ſcribuntur omnino ad detegendam materiam,) plenis velis abducere.

§. 11. Sed vt ſcepticos vbique reperire licet, ita & alchimiam hoc fatum manere non mirum eſt, quod Philoſophiam, Medicinam, Theologiam ipſam & ſcientias alias experiri notum eſt, vnde de eo quod nihil ſcitur, & de vanitatibus ſcientiarum, ſunt, qui ſcripſere. Verum a falſo ſecernendum vbique.

CAPVT III.

De Fraudibus & fallaciis Alchimiſtarum.

§. 1.

Ix vllibi vnquam mens humana decipi ſe paſſa eſt magis, quam in arte transmutatoria, adeo vt non

ſatis cauere poſſimus, quin in caſſes illas auri aucupum incidamus, nolentes volentes quaſi concedentes in illecebras tam amœnas.

§. 2. Quod enim quis amat & exoptat, id facillime credit, neque facile aliter perſuaderi poteſt, quin inhæreat, neque auerti ab ideis conceptis æque poſſit. Hinc conſultum eſt, fraudes illas in anteceſſum noſſe, incautis vtpote & ignorantibus ſolum noxias.

§. 3. Duplici autem potiſſimum nomine illæ proponi poſſunt, vt conceptæ, & illatæ ab aliis; hæ frequentiores & cauendæ potiſſimum, nec illæ tamen negligendæ, non minoris momenti.

§. 4. Videas hinc fraudes tales ſtruentes alios ſimpliciores paulo & credulos, alios doloſos magis, v. gr. in offerendo, adulando & perſuadendo; habere ſe arcanum, vel in manuſcripto, vel ſua inuentione, vel amica & arcana communicatione, vel hereditaria poſſeſſione. Vni ſoli licere id reuelare, quem elegerint, vt pium, vt probatum, vt ſilentio & aliis aptum.

§. 5. Ita ſemel ineſcatus, facile abripitur vlterius, ſiue docti ſint illi artem profeſſi, ſiue rudes, noti, ignoti, pauperes, ardeliones. Mirum eſt, quanto numero affluant tales in aulis quoque, vbi norunt operam arti dari, vel aures commodari.

§. 6. Quod ſi hinc porro admittantur, fraudes longe maiores committuntur in laborando, in theoria & praxi. Primarium obiectum fere eſt mercurius, ne dicamus iam de aliis, quippe qui inſtar Protei ad fallacias illas maxime omnium quadrat, vel ſi huius iam cognitum fuerit verſipelle ingenium, ſaltim vt miniſter & apparitor operis commendatur.

§. 7.

§. 7. Quis vero enumeret omnes illas techinas, quæ vel circa hunc ſolum perpetratæ fuere, ad nauſeam hinc inde notatæ, etiam in tingendo? Vtut enim & veri adepti aliquando luſerint incredulos, loco vitri antimonii proceſſus elegantioris, loco corroſiui alicuius, vel deſiderati alterius, auri confectionem præſtantes, cum ſtupore improuiſi effectus; ſecus tamen malæ fidei alii egere.

§. 8. Ita aurum vel argentum non modo ſub aliena larua occultatum (vt quidam ſub vſifur nomine fecit,) adhibitum fraudi miniſtrauit, ſed etiam in carbonibus, crucibulo, ferro, quæ velut groſſiora iam ſatis notata, cum tyronibus tamen artis communicanda ſunt.

§. 9. Subtilior fraus in ſpecioſis experimentis latet, cuius vnum vel alterum ſaltim exemplum tangi meretur. Pertinet enim huc decantatus clauus ferreus, ex dimidio aureus, Florentiæ vel alibi quoque ſpectandus, a Thurnheuſero olim tinctus, ne dentem aureum huc arceſſamus, bis in ſcenam illatum. Vtut enim negare nolimus, etiam ferrum reuera tingi poſſe, fucum tamen illum & luſum iam dudum alii notarunt.

§. 10. Sic & liquor mercurium in momento in argentum commutans, & ita fixans, vt omnes ſuſtineat probas; imo imperialis argenteus auri colore tinctus peritioribus ſatis notus eſt. Loco mercurii nempe luna liquore ſoluta & latens remanet, illo in auras fugam capeſſente, quod & de auro valet eodem proceſſu, vnde etiam non inepte dicitur die Narren-Tinctur, quo de videatur *W. Schröterus*, *Becherus*, & alii.

§. 11. Imo & ſublimiori pacto confectum aurum, & ab omnibus pro tali habitum, iam olim a *Suchtenio* detectum eſt, quo iure illum titulum ſubierit.

§. 12.

§. 12. Tacemus fraudes centenas alias, ab *Erasmo in colloquiis* ipso & aliis tactas. Idem vero & in transmutatione martis in venerem, nostra memoria, decantata & celebrata a summis viris, idem in proliciendo mercurio corporum & curiositatibus in aliis metallis contigit.

§. 13. Cauendum ergo, ne vel φιλαυτία aliqua, vel φιλαργυρία quis decipiatur temere, multo minus alios decipere præsumat. Præstat aliquando eleemosynam erogare offerenti se tali artifici, quam longius in casses trahi. Præstat statuam mercurialem bonorum virorum sequi, & Pindaricum illud: μέμνασο ἀπιστεῖν, cordi habere. Qui secus fecerit, cum Phrygibus sero sapiet, ipsique sibi hinc culpam imputet.

CAPUT IV.

De *Fundamentis artis.*

§. 1.

CUm momentosa sit ars, & vniuersali quasi omnium nationum applausu confirmata, imo ipsi ex professo contradicentes, *Kircherus*, *Verulamius*, ne *Conringium* & alios laudemus, velut conuicti nolentes volentes eandem admittant; operæ pretium est, lustrare eiusdem fundamenta.

§. 2. Et sane a naturæ mystis, etiam non-chimicis, quasi concessum est, omnia metalla ex sulphure & mercurio constare, quibus, tanquam magis externis & obuiis, tertium, coagulationis principium, & internum magis,

ſeu commune vtrisque, merito addidit *Paracelſus*, ſal. Hoc velut principali aſſerto dato, alia quoque tanquam poſtulata fuere enata.

§. 3. Sic omnia metalla nil aliud eſſe arguunt, quam mercurium diuerſimode coagulatum, digeſtum, mixtum, fixatumque, pro terræ, ſulphuris & ipſius mercurii puritate non vna. Ipſa vero mineralia, & inter hæc mercurium viuum quoque, nil aliud eſſe, quam anticameram metallorum, metallum crudum, indifferens, in fieri, immaturum; & ipſa tamen hæc iisdem gaudere principiis, iisque magis volatilibus; vnde in ſpiritus & corpora exorta eſt diuiſio.

§. 4. Cumque omnia creata gaudeant fœcundatione ſua, cumprimis regnum vegetabile, & animale, idem etiam minerali non denegatum eſſe a diuino numine, adeoque & mineralia & metalla pollere ſuo ſemine, ſeu vi multiplicandi.

§. 5. Omnia quoque metalla reliqua participare de auro, in aliis magis reperiundo, vt ℥iß in marca argenti agnoſcat *Paracelſus*: in aliis minus, vt ex marte ipſo folia auri obtinuerimus; imo idem in ſilicibus, ſolaribus hinc dictis, etiam noſtratibus, nedum Africanis, Hungaricis, & aliis, in lapidibus vel marcaſitis quoque extare, & ex fluuiorum arenis elui.

§. 6. Vtque eſſentiale metallis omnibus eſt, poſſe fundi & malleari; ita peculiare huic regno, quod ſint miſcibilia, & alterum in alterius ſinu recondi poſſit, quod ſeorſim in monetis, aurichalco, vaſis vtenſilibus & aliis viſitur, manifeſto indicio ſimilitudinis & harmonicæ ſymboliſationis inter ſe.

§. 7.

§. 7. Seorſim vero amalgamari, vt vocant, ſeu blande ſolui (quamuis alia magis, alia minus,) cum mercurio, qui itidem de omnibus facile participat, indicio ſimilitudinis & homogeneitatis maioris, quod ſimile gaudeat ſimili, & alia longe ratio ſit metallorum, quam reliquorum dictorum regnorum.

§. 8. Sic & ſulphur eſſe principium maxime diffuſiuum, ipſumque mercurium inflammabilitati contrarium, ſeu, verbis *Gebri*, aduſtionis ſaluatiuum, inde ligari & compedes pati non minus, ac a ſalibus volatilitas eiusdem exui poteſt, & a ſolo igne quoque figi ac alterari; ſulphur vero exaltari & maturari.

§. 9. Inter hæc aurum & argentum fixiora eſſe præ reliquis, & prius inprimis nulla ignis tortura minui poſſe, reliqua metalla vel in calcem, vel in crocum facile conuerti & abire.

§. 10. Neque deſunt exempla, ipſa vegetabilia, vel muſci apud nos more, penitus poſſe transmutari, exuta & deſtructa priori forma, & inducta noua; ne de martis in venerem abitione etiam naturali in Hungaria, etiam in foliis arborum, ſaltim corroſo & deſtructo penitus priori corpore, ob exuperantes particulas venereas, a corroſione ſeparatas & iunctas, dicamus.

§. 11. Nullum denique metallum tam diffuſum ſui tum corporis, tum conſequenter tincturæ eſſe, quam aurum, quamuis mars & venus quoque non parum eandem diffuſionem ſuo exemplo illuſtrent.

§. 12. Cum ergo volatile poſſit figi, ab igne, a miſcela, a fixantibus aliis, immaturum maturari, digeri & exaltari, aurum vero, hinc & argentum, ſulphure & mer-

curio puro, eoque fixiſſimo gaudeant, credibile eſt, nec pro abſurdo habendum, idem reclusum, panſum, digeſtum & exaltatum, poſſe corrigere & fixare metalla reliqua, fermento ſeminali, vt centraliter inde digeſta & exaltata, fixato alteratoque ſulphure & mercurio, immutari & conuerti in aurum poſſint, pollentia ſingula vnctuoſitate intime obuoluente partes terreas lutoſas & mercuriales. Q. E. D.

CAPVT V.

Experimenta artis.

§. I.

T vulgatiſſimum eſt axioma, vna experientia plus valet, quam centum rationes; ita idem quoque valet merito de alchimia: idque tanto magis, quanto facilius conſentit intellectus, rationibus quoque inductus, non contra niti easdem, ſed ſuccinere debere & ſubſtare experientiæ.

§. 2. Cum ergo in ore duorum vel trium teſtium infucatorum conſiſtat hiſtoriæ omnis ſeu facti veritas; cum demonſtratio a poſteriori, etiam alteri a priori contra, non minus conuincat, & ipſo actu transmutandi manus reddantur vel redditæ ſint oculatæ, vt credant quod vident, & repeti poſſit, quod *Cornelio Martini* (quem artis huius cultorem ſua manu edocti nouimus,) oppoſitum fertur: Solue mihi hunc ſyllogiſmum; abſurdum fuerit omnino, vel ad præſtigias referre, quod contigit, vel fidem tamen abrogare omnem, ſenſibus repugnantibus.

§. 3. Quamuis vero abunde ab *Hoghelando* & aliis

talia

talia exempla genuinæ transmutationis recensita sint; non tamen fuerit superuacuum, saltim pauca quædam selectiora pro artis veritate delibare.

§. 4. Sane iam *Æneas Gazæus in Theophrasto* geminis locis clarissime docet, artem iam suo tempore celebratam & experimentis notis aurum pulcherrimum ex ære, ex argento & stanno confectum fuisse. Quod & *Manilius l. 4. astronomicorum* confirmat, nodum in scirpo quærentibus, qui aliter interpretantur, quo de vid. *C. Barthius Comm. in Gazæum p. 151.*

§. 5. De Arnoldo Villanouano illustrium ICtorum insignissimum extat testimonium, eum virgulas aureas arte chimica produxisse, quas omnium examini subiecerit in aula Pontificis Romani. Recenset illos *Delrio disquis. Magic. l. 1. c. 5. Q. 1. s. 4. p. 61.* qui & ipse ibidem plura elegantia habet, ne de Lullio dicamus, qui idem largiter præstitisse ibidem & ab aliis scribitur.

§. 6. De Paracelso vt nemo fere dubitat, artem nouisse, ita extat excerpta ex Mich. Neandro Epistola apud *Wolffium Lection. Memorab. Tom. II. fol. 502. s.* Francisci cuiusdam, famuli eiusdem, quod mercurii viui ℔j in aurum commutauerit, non nisi ℥ß pondere imminuto.

§. 7. Luculentum est testimonium *I. W. Dienhemii Medicin. vniuers. c. 24. p. 64. seqq.* de Alexandro Setonio, qui Anno 1603. coram ipso, Iacobo Zwingero, & aurifabro, ex saturno cum sulphure fuso purissimum aurum, & Hungarico præstantius, confecit. Conferatur *Theodorus Zwingerus, Scrutin. Magnet. cap. 3. p. 20.* & *Ioh. Baptist. Morinus præfat. apol. Astrolog. Gallic. p. 1. Crollius in Præfatione Basilic. chimic.* qui id apud Sendiuoium, vt vocat, vidit.

§. 8. Anno 1608. a Georgio Scoto publice ſine fuco, non priuatim, non intra muros clandeſtinos, ſed palam & in hominum cœtu, aurum ex quouis metallo, ab aliis ſibi exhibito, confectum eſſe, qui vidit, interfuit, & ab illo puluerem accepit, teſtimonio veritatem denunciat *Petrus Arlenſis de Scadalupis Sympath. 7. Metall. & 7. lap. ſelector. ad planetas p. 292. ſ.* vbi plura habet.

§. 9. Ipſum Diuum Ferdinandum III. ſua manu tinxiſſe mercurium viuum (℔iij in ℔iijß) in aurum puriſſimum, confirmat ipſo nummo inde percuſſo depicto *Zwelferus Mantiſſ. Spagyric. p.m.796.* grano vno tincturæ, a quodam Richthauſen dicto, hinc Domino de Chaos inſignito, & *Becherus in Oedipo Chim.* Is ipſe vero coram Electore Moguntino Ioh. Philippo 1658. idem fecit, cuius portiunculam adhuc poſſidemus.

§. 10. Tacemus experimentum *Helmontio* exhibitum *Libro Vita æterna inſcripto.* Viſendum adhucdum eſt apud *Heluetium* Hagæ Comitis aurum, quod ipſe ex communicato ab incognito artifice tantillo tincturæ confecit, & deſcribit in *Vitulo aureo.* Aſſeruit idem nobis vir candidiſſimus & fide digniſſimus, cum *Monteſnydero* conuerſatus, quod ſua manu itidem mercurium in aurum tinxerit.

§. 11. Et ne vllum reſtet dubium, præter alia plura, & præſertim tempore Rudolphi II. Imperatoris, & Augusti, Electoris Saxoniæ, & hodie peracta, inſtar omnium eſſe poteſt nouiſſime Berolini factum experimentum a pharmacopœiæ tunc temporis ſtudioſo Bœttichero, in præſentia heri ſui Zornii, & duorum Paſtorum hoſpitum, quod nemini non notum eſt, vt plura hoc loco non recenſeamus, Francofurti ad Mœnum, & Viennæ facta.

§ 12.

§. 12. Quamuis ergo quot capita, tot ſententiæ, & qui nihil rectum verumque putant, niſi quod ipſi viderint, tetigerint, fecerint, diuerſimode de his iudicent; proterui tamen fuerit hominis, fidem tot teſtibus, omni exceptione maioribus, denegare.

CAPVT VI.

De *Artis antiquitate.*

§. I.

NOn vitio arti verti poſſet omnino, etiamſi nouiſſimæ eſſet inuentionis, ad inſtar plurimarum aliarum; aſt quando calumnioſe, vt nouum figmentum, traducitur ab ignaris, merito ad delibandam eiusdem antiquitatem & conſequenter veritatem inuitat.

§. 2. Fama tralatitia eſt, eaque in re fundata, natam eſſe in *Ægypto*, omnium artium præcipuarum fonte, ſaltim vnde ad reliquas orbis incolas transmitti potuere, vnde & non tam a Chamo, quam ab Arabica radice chama *exarſit, calore examinauit*, deriuari poteſt.

§. 3. Cumque Hermes Triſmegiſtus antiquiſſimæ ſit notionis, ne de Thubalcaino & inde Vulcano dicto loquamur, & plurimi Chimici, nemine diſſentiente quaſi, huius meminerint; nil obſtat, quo minus Tabulam Hermetis pro genuino lemmate artis habeamus, quamuis nonnulli mercurium potius, quam viri nomen innui velint.

§. 4. Floruit & in *Arabia*, & probabilius prius, quam apud Græcos, vnde & al, articuli, additione alchimia vſitatiſſime audit, & hinc chimia potius quam chymia, quod Ara-

Arabes y careant, vel chemia ſcribitur, quamuis vnusquisque ſuo genio gaudere queat.

§. 5. Culta eſt in *Græcia*, Democriti & Zoſimi, hinc & aliorum plurium exemplo, quorum fragmenta & ἀνέκδοτα non viderunt antiquitatem impugnantes; meminit tamen *Hermolaus Barbarus*, & *Salmaſius*, recenſuit *Reineſius*, & *Borrichius* vidit etiam ex Bibliotheca Ducali Gothana, & nos oſtendere poſſumus, vt abſurdum ſit hodie id negare velle.

§. 6. Nec *Romanis* incognita fuit, cum Caius Imperator ex auripigmento aurum confecerit, *Plinio* autore, ſiue proprie dictum intelligatur, ſiue chimicorum, vt ſolent ludere etiam huius nominibus.

§. 7. Tacemus a Tiberio enectos artifices, qui circa vitrorum texturam aliquid peculiare inuenerant, veritus, ne aurum hinc vileſceret, & Diocletianum exusſiſſe Ægyptiorum collectos de arte libros, vt deſiſterent libertatem affectare & rebellare.

§. 8. Quod enim rarius artis meminere autores, ſine dubio factum eſt ob tyrannidem, quam metuebant artifices, edocti Tiberiano exemplo, ob ſcribendi & tractandi modum hieroglyphicum, quod & ipſum antiquitatis monumentum eſt inſigne, & hoc ſi nouerimus, veſtigia omnino illuſtria deprehendas non pauca.

§. 9. Ita huc pertinent non modo ab antiquiſſimo *Homero* tacta, vti de Marte & Venere a Vulcano illigatis inprimis tradita ſua faciunt & explicant chimici, & ex *Ouidii Metamorphoſi*, (ne *Heſiodum* laudemus in Theogonia,) hæc illa alii, ſed & plura huc referri merentur.

§. 10. Inſtar omnium ſit locus *Platonis* in *Timæo* de

auri

auri ramo adamante, qui non aliter quam mythologice explicari poteſt, ipſo Philoſopho clariſſimis verbis id docente. Idem dictum ſit de ramo aureo *Virgilii*, de quibus alibi fuſius egimus; neque vlla admitti hinc poteſt alia commodior & aptior explicatio.

§. 10. Sic & *Maximi Polybii* epigramma, in agro Patauino inuentum, ab ipſo *Hermolao Barbaro*, qui in rei memoriam id retulit *Corollario V. p. m. 69. b.* & lapidi minus fauet, de artificio hoc incomparabili explicatur.

§. 11. Idem de ænigmatico epitaphio antiquiſſimo Bononiæ inuento: Ælia, Lælia, Criſpis &c. communiter explicatur & coniicitur. Imo & in libris Sibyllinis non de alio reuera ſermo eſt in ænigmate relato *lib. 1. p. 170.* ſiue per χρονικὸν, ſiue, vt nos eruimus, per κασίτερον explicetur, res enim eodem recidit.

§. 12. Obſeruauit hinc & *Crato* apud Scaligerum, iam dudum ante Paracelſum hæc chimica opera fuiſſe exercita & deſcripta, *Præfat. L. Exercitat. de Subtilitate.*

CAPVT VII.

De Autoribus & ſcriptoribus Chimicis.

§. 1.

SI vllibi notitia autorum neceſſaria eſt, ſane in alchimia ea fuerit præcipua. Non ſolum enim plurimi ſunt plurium ſeculorum; ſed & diuerſiſſimi, nec vnius eiusdemque commatis.

§. 2. Imo ipſimet fatentur, plus fidei & cognitionis eſſe impetrandum, ſi a Deo Opt. Max. diſceſſerimus, ab autoribus, quam quibusuis aliis, ipſisue adeptis viuis, idque tanto magis, quanto hi ſunt rariores & arcani ſui, etiam putatitii ſæpe, tenaciores.

§. 3. Horum vero ſelectu non minori ac notitia opus eſt, vel ob ipſam copiam, nedum diuerſas hypotheſes, tum in genere, tum quorundem ſaltim in ſpecie. Singuli enim probe diſtinguendi ſunt, ne fallaris, & ſeligendi, quos ſequaris.

§. 4. Vt itaque de illis quædam dicamus, notabile eſt (1.) alios eſſe *antiquos*, alios *medios*, alios *recentiores*, ipſiusque noſtri ſeculi, vel temporis. Omnes in eo fere conueniunt, quod ſint obſcūri, alius tamen alio magis, vt hinc ſæpe diuiſim hunc ex hoc, alium ex alio capite conſulere vel noſſe conſultum ſit.

§. 5. Antiquiſſimus ſine dubio eſt *Hermes*, primus ille, *Triſmegiſtus*, quamuis & poſterior non ſit contemnendus. Conueniunt vero omnes genuini in tertio quodam, imo vnam rem diuerſo ore & modo eloquuntur & profitentur, vt, etiamſi diſſentire videantur, reuera tamen meliores quiuis amice & harmonice inter ſe conſpirent.

§. 6. Sunt tales (2.) alii *Ethnici*, alii *Iudæi*, alii *Chriſtiani*. Exemplo ſit *Iſis*, *Democritus*, *Artephius*, *Morienus Romanus*, ex Arabico verſus, ne *Pythagoram*, & *Turbam Philoſophorum* huc arceſſamus; Chriſtiani vero plerique & potiores. Iique (3.) omnium nationum, Ægyptii, Arabes, Græci, Latini, Hiſpani, Angli, Galli, Germani, exemplo *Gebri*, *Morieni* laudati, *Codicis Chimici Græci*, *Lullii*, *Villanouani*, *Baſilii Valentini*, *Paracelſi*, *Riplæi*, & infinitorum aliorum.

§. 7.

§. 7. Sunt hi porro (4.) partim *impreſſi*, & vario idiomate verſi, partim *MSti*, ſeu iniuria temporum, ſeu copia, ſeu inuidia, vt de *Libro X. Archidoxeon Paracelſi*, pluribus annis poſt impreſſa primitus opera edito, notum eſt. Fatum id experiuntur Græci laudati plerique, & alii tomi integri aſſeruantur in bibliothecis.

§. 8. Hinc & (5.) alii *coniunctim* editi habentur, cum vel ſine ſelectu, alii *ſeorſim* impreſſi. Laudandi hinc illo nomine ex antiquis *Codex Græcus* laudatus, idemque *Latine verſus*, hinc *Artis Auriferæ Autores*, duobus voluminibus Baſileæ editi Anno 1572. *Theatrum Chimicum Argentoratenſe* VI. voluminum in 8. *Muſeum Hermeticum Francofurtenſe*, & *Bibliotheca Chimica Albinæi*. Recenſionem vero ſingulorum fere *Borrichius* in *Conſpectu Chimicorum*, & nuper *Purgatorium Chimicorum Anonymi* edidit; ſed magis genericam.

§. 9. Alii (6.) *directe* & ex profeſſo artem tradidere, quales ſunt recenſiti plerique, ſi aſſutos quoſdam excipias: alii vero *indirecte*, ſparſim & obiter, ſeu ipſi manum admouerint, qui longe optimi, ſeu recenſeant tantum, non contemnendis loculis. Inter hos *Plato* ipſe, *Virgilius*, *Fernelius*, *Cornelius Agrippa*, in epiſtolis, *Palingenius* & alii numerantur, ſane nec ipſi contemnendi, & breuitate commendandi ſuccincta.

§. 10. Vt alia plura taceamus (7) alii ſunt *claſſici*, *veri*, *principes*, adeoque præferendi merito, alii *fucati*, *vani*, *errones*, putatitii: Inter illos *Hermes*, *Lullius*, *Baſilius*, *Geber*, *Paracelſus*, *Eſpagnetus*, *Sendiuogius*, *Philaletha* &c. numerandi. Alii (8.) *proſa*, alii *ligata* oratione ſcripſere, vt *Augurellus*.

CAPVT VIII.

De Requisitis futuri artificis.

§. 1.

Vm alii sint artis contemptores, illam scilicet vt plurimum ignorantes, alii perdite & inconsulte, ac invita, quod aiunt, Minerua inquirentes, neutri sequendi sunt genuinam viam ingressuro, vnde præmonendus, imo & præmuniendus prius, quam rem occipiat, ne oleum & operam perdat.

§. 2. Quæ communia sunt omnibus studiis, etiam in diuina hac arte præcipue cordi habenda: pietas, lectio & meditatio, singularumque sedula repetitio ac continuatio. Cum enim arceri omnes, nisi quos æquus amauerit Iupiter, eumque hinc inuocandum esse & Ethnici agnouerint, non nisi prægressis precibus, nutu diuini Numinis, quicquam sperandum erit.

§. 3. Nosse hinc oportet genium scriptorum, obscurum illum, parabolicum, ænigmaticum, nosse & distinguere autores, quos solos fere adire & audire datur; multum enim refert, quem eligas & sequaris. Immiscent studio plane ἀλλότρια, seductoria, nec ad rem vllatenus spectantia, vnde cauendum, ne nubem pro Iunone obtineas.

§. 4. Cum ergo sit casta meretrix Alchimia, vt sic dicam, quæ multos inuitat, paucos admittit, nec cuilibet contingat adire Corinthum, deliberandum etiam hic est diu, quod statuas semel. Præstat multa discere, plures legere, non

vnum

vnum ſolum, & relegere, pauca experiri, nec prius admouere manum, quam probe omnia fuerint eruta ac cognita.

§. 5. Et hic occurrunt exoterica & acroamatica. Auſim dicere, etiamſi omnia quaſi præmanſa ingerantur & velut palam edicantur, plures tamen occurrere ſcopulos, vt reuera arduum ſit & difficile opus, nec temere ſuſcipiendum; vnde in opus primum, ſeu antecedens, & ſecundum diuidunt. Primo ſuperato & ſapienti omnino fuerit opus mulierum, vt vocant, ceteris inacceſſum fere.

§. 6. Inprimis noſſe oportet naturam & ſequi, quod ſi fiat, non pauca, imo omnia quaſi obſtacula remouere integrum eſt, & contra. Cumque cardo rei verſetur in notitia materiæ, hæc omni modo exquirenda; cum qualem ſementem feceris, talem etiam meſſem habeas expectandam. Neque hac cognita æque res in vado eſt, quin error ſubinde contingere queat.

§ 7. Noſſe inſuper, ne fraudes repetamus, ignem, eiusque regimen & adminiſtrandi modum, quæ coniunctim ſuo modo ex Chimia pharmaceutica etiam hauriri queunt & debent, quamuis ſint longè diſtinctæ artes, nec inter ſe confundendæ. Noſſe item Metallurgiam, Docimaſticam, Phyſicam &c.

§. 8. Et quandoquidem cautione & prudentia opus eſt, non arcendi quidem iuuenes ab hoc ſtudio, vel deterreri debent, viſi enim ſunt cum *Philaletha* etiam iuuenili ætate adepti; aſt præſtat fere tardius & maturo cum iudicio aggredi, vt *Comes Treuiſanus* in ſenectute tandem voto beatus fuit.

§. 9. Facit huc plurimum, ne ſit auarus inquiſitor operis, hoc ipſo excludendus, quod diuitiis & voluptatibus inhiet,

nec prodigus, præterquam erga pauperes liberalis, ne erogans pecuniam temere certam ad pauperiem ineat viam; nec festinans hinc, omnis enim festinatio, inquiunt Philosophi, est a Diabolo, sed indifferens, æqui habiturus theoriam ac praxin, nec hanc sine illa occepturus, non superstitiosus item, vt pluribus accidit cum dispendio.

§.10. Labyrinthum se inire cogitet, vbi ductore, filoque Ariadneo opus est, probe comparata debita omnium ac necessaria notitia, & prudentia, ne credulus, ne processus ambiens, ne aliis modis deficiens vel excedens fallatur in lubrica & spinosa via.

§. 11. Vtque plura non tangamus, suis loculis delibanda, ad sacra hæc Eleusinia vera opus maxime est silentio, & iuramento Philosophico, siue a viuo Doctore iniuncto, siquidem præuio consilio talem inuenias, siue rei ipsius exigentia in conscientia quasi præstando, ne aliis ludibrio, periculo & damno se exponat, tam perdito opere, quam succedente.

CAPVT IX.

De

Ratione scribendi autorum.

§. 1.

PEculiaris est modus tradendi & scribendi Alchimistarum, ab omnibus aliis diuersus, quod partim antiquitatem sapit, sapientiæ veterum mythologicæ, partim secretam artem, quam velut studio magis inuoluere & obuelare, quam detegere ac docere voluere.

§. 2.

§. 2. Certant fere in hoc omnes, antiqui pariter & recentiores, vt non nisi obscure & parabolice scribant, æquiuoce ac dubie, vt si putes rem exhausisse & optime callere, deceptum experiare, quæ vna ratio est, quare tam pauci absque Delio natatore ad vellus hoc aureum pertingere obseruentur.

§. 3. Vt vero distinctim paulo libemus hieroglyphicam hanc philosophiam, expressa illa visitur communissime omnium (1.) per SIGNA, chimica hinc καῒ ἐξοχὴν dicta. Hæc partim communia sunt cum astrologicis, indicio antiquitatis vtriusque scientiæ genuinæ, vt septem planetæ cum septem metallis vno eodemque scribantur & innuantur typo ♄, ♃, ♂, ☉, ♀, ☿, ☽. Suffecerit nobis ex nummo Claudii Imperatoris genuino demonstrasse notam mercurii elegantissimam.

§. 4. Partim propria, vt non solum in signis illis chimicis ⊖, 🜍, ☿, & elementis 🜂, 🜂, 🜄, 🜃, sed & variis mineralibus & ⊖libus aliis, vt ⏀o, ⊕lo, ♁io, ⚯co, &c. quæ notissima sunt, apud *Schrœderum* aliosque videnda expressa. Partim, vt sic loquar, propriissima.

§. 5. Cum enim vtraque laudata, certo respectu, sint & dici debeant communia cum Astrologis, & Chimicis aliis, non acquiescunt in hac nomenclatura, vel lexico chimico, sed secedunt vlterius, & per Saturnum v. g. Iouem, Martem, Solem, Venerem, Mercurium, Lunam, non commune aurum, argentum &c. sed suum, nostrum, Philosophorum, vel indefinite intelligunt.

§. 6. Imo adhuc vlterius procedunt, &, more veterum quoque Mythologorum, per Saturnum, v. gr. Mercurium, per Iouem modo Mercurium, modo Aurum, per Martem idem,

idem, vel aliud, per Lunam, Mercurium, Venerem ſimplicem, inuerſam intellectam volunt, ſeu Philoſophorum.

§. 7. Idem dictum eſto de ⊖e, 🜍e & ☿io, quin & elementis ipſis, vt apud *Artephium* & alios per hæc ſit rei expreſſio, ne dicam de omnibus & ſingulis mineralibus. Quamobrem diſtinctiſſima ſunt ⊖, 🜍, ☿ Chimicorum, & Philoſophorum, adeo, vt v. gr. per ☿ium ipſum ⊖, & viciſſim per ⊖ ☿ium, per 🜍 aurum aliudue ſignificetur.

§. 8. Et in hac tamen æquiuocatione latet ſapientia, cum diuerſi ſint mercurii, vel *Tullio* teſte, *Libro de Divinat.* diuerſa ſulphura, diuerſa ſalia: & in ipſo mercurio omnino ſit acrimonia ſalina, & ſulphur volatile incombuſtibile. Satis eſt, in ſua arte id ſibi licere arbitrantes noſſe ac diſtinguere.

§. 9. Quod ſi hieroglyphicam ſignaturam vel verbo tangamus, v. gr. in genere ☿ii ſignum, cum △e ſymboliſans, alis ſuis æthercam volatilitatem notat, ætherem velut corporeum & concentratum elaſticum, quod crux innuit, vnaque fixam ſic reſpectiue, vel figendam.

§. 10. Tacemus alias ſignificationes, quæ apud alios & ſpeciatim in *Speculo Philalethico* occurrunt. Imo, vt hoc addamus, per alas illas geminas potius inſignia Dianæ & columbas ♀ris innui putaueris rectius, quam ipſam ☽am, vel ſi hanc, non niſi ipſam Philoſophorum. Ita & ☉is ſigno clauſiſſimum & igne inuictum metallum innui ratio & experientia docet, ipſiusque æternitatis ſic ſymbolum. ♃ vero inuerſus ♄ ſignat, & vice verſa.

§. 11. Idem etiam exprimere ſolent (2.) CHARACTERIBVS pro lubitu, quod quidem paulo rarius eſt, & alias ad ſigilla planetarum ac amuleta refertur, de quibus duos

ſaltim

ſaltim laudabimus: *Præſtigia Hermetis* dicta MSS. & *Hübnerum de Sigillis Planetarum*.

§. 12. Vti vero etiam his deſignari artem aliquando obſeruatur, vel credibile eſt, ita verbo ſaltim laudabimus antiquum illud ſeu pentagonum (1.) ✡, ſeu hexagonum ✡, ex inter ſe ductis trigonis, quod & inter imagines ſolis referunt *Præſtigia Hermetis*, & (2.) ☰ ♇ *Paracelſi*.

CAPVT X.

De Hieroglyphicis variis continuatis.

§. 1.

NVllibi tam fœcundos ingeniorum luſus inuenias, ad exprimenda, an occultanda, animi ſenſa, quam apud ſcriptores chimicos, vt nuſpiam magis opus ſit Oedipo. Patet id inter alia etiam ex NVMERIS, quibus & hoc fine hi illi vtuntur.

§. 2. Sufficiat nobis ſaltim tria exempla laudare, primo ænigma rhythmicum *Baſilii Valentini*, quod euolutum in numeros chalcanthum ſeu victriolum exhibet, & in hoc ipſo tamen non parum ludit, vera dicendo aliud intendens tamen, vt quod ſcis, neſcias. Enimuero non ſolum idem exprimit Antimonium, ſi vocalibus ſeorſim diuiſis ſcriptis totidem conſonantes ſubiungas; verum & vtraque hæc iterum nouum apud ipſum conſtituunt ænigma. *p.m. 154. ſ.*

§. 3. Alterum ſit *Rhumelii*, de nomine mercurii philoſophici, *libro auicula Hermetis catholica inſcripto p. 4.*

D quo

quo ♔lum ♂lem intelligit, quod nobis hac vice quidem verbo meminiſſe licuerit: malumus tamen integrum locum delibare, vt pateat, iam ante recentiores non paucos alios quoque idem ſenſiſſe, quod illi, vel eosdem id inde decerpſiſſe. Ita vero ſonant verba:

Drumb ſuch allein Mercurium,
Hat ſieben Buchſtaben in einer Sum̃.
Drey Sylben und drey Vocal,
Eilf C und I an der Zahl/
Vorn L zehen/ und LI zuletzt/
Im Mittel darinn iſt M geſetzt.
Auch da vier Conſonanten ſeyn/
Das iſt ſein rechter nahm allein.

q. d. STIBIVM, REGVLVS MARTIALIS.

§. 4. Tertium *Philaletha Enarratione trium Gebri Medicin.* longe elegantiſſima *p. 173.* vbi res principales & neceſſarias ad opus pertinentes ſub numeris 448. 344. 256. 224. ſeu coniunctim 1272. occulit, quibus eundem inſinuat, q. d. Regulus Lunæ e Chalybe antimoniatus. Ne anagrammata apud *Paracelſum*, *Mynſichtum* & alios obuia laudemus.

§. 5. Idem & de FIGVRIS valet, quibus ſæpe rectius quam ipſo textu inſinuare voluere ingredientium & proceſſus notitiam. Valet id de aquilis *Senioris*, de figuris Baſilianis, tum in clauibus, tum ſeorſim, ne de *Flamello* & aliis paſſim occurrentibus dicamus.

§. 6. Imo notiſſima ſunt vel nomina figurarum, neque enim tam exprimere iconem opus eſt, quam ſignificatiua, & ſigna nota, quibus ignotum innuitur, delibare & noſſe. Sic draconis, aquilæ, leonis, ſeu indefinite, ſeu rubri & viridis in ſpecie, longe notiſſima ſunt lemmata.

§. 7. Videas tamen & in coloribus, per picturam exhibendis, aliquando curioſe occupatos. Tacemus ſigna aſtrologica, vt apud *Gebrum* in *Summario ſummæ*, quod dicitur lumen luminum MSS. leonis, cancri, ſcorpionis, apud alios item arietis, & alia paſſim obuia.

§. 8.

§. 8. Et vti omnia hæc ſunt ænigmata, ita plures huc ſpectant fabulæ ex mythologia veterum, vt Phœnicis, Sphingis & ſimilium, ſeu directe hoc nomine efficta, ſeu applicata ſaltim. Inſtar omnium ipſi duodecim labores Herculis huc referuntur, & a *Petro Iob. Fabro* præcipue, aliisque explicantur, ne ex profeſſo hæc aliaque tacta & pertractata laudemus.

§. 9. Sic & ſymbolicis aliis abundant Chimici præ aliis. Inprimis antiquiſſimum eſt lemma coniugii, ſolem eſſe patrem eius, matrem lunam, illum calidum, hanc frigidam: intelligendo non aſtra, ſed metalla, & quidem philoſophica. Idem etiam aliis denotare volunt, quando, loco ſolis & lunæ, martem & venerem, illum marem, hanc fœminam ſubſtituunt. Ne iam de copula vtriusque iterum dicamus.

§. 10. Idem dictum eſto de animæ, corporis & ſpiritus exemplo, quo frequentisſime vtuntur, item de traduce, quod rami aurei exemplo Poeta illuſtrat. Vt & de germinatione ſeminum, quod granum v. gr. non ferat fructum, niſi in terram coniiciatur & moriatur, quod & ex ſacris huc trahunt.

§. 11. Hinc ob duplicem & dubiam hanc acceptionem v. gr. luna modo maſculi locum tuetur, pro argento ſumpta, modo fœmellæ, altero ſenſu. Imo quæ alii contendunt proprie ſumenda, alii inuertunt, vt in regulo martiali laudato negant martem ſenſu communi appellatum.

§. 12. Hæc omnia ſane allegorica tanto prouentu etiam NOMINVM nouorum impoſitione aucta ſunt, vt vel vnum ſuum mercurium ſexcentis vocibus appellitent, ne-

dum alia. Optime vero, præter alios, hæc discernere & sub singulorum titulis illustrare allaborauit *Philaletha l. c.*, merito & ob hoc laudandus præcipue.

§. 13. Sola ergo hæc æquiuocatio artem dubiam & difficillimam reddit, ac labyrinthum constituit. Tacemus nomina subinde noua effingi, vt Glaura Augurelli, ne de Tessa iam dicamus. Quin quando ipsi vel explicare volunt sua dogmata, vt *Basilius* Claues, *Philaletha* processum *Suchtenii* sequens, hoc ipso ad auia ducunt non raro.

CAPVT XI.

De Materia vniuersali, seu in genere.

§. 1.

CVm ergo per signa, per emblemata, per notas & laudata alia, partim materiam, partim processum & consequentia complexi sint Chimici, & inter illa præcipue etiam per QVADRATVRAM CIRCVLI, vbiuis obuiam, & simplici mechanica demonstrabilem, vnum solum opus fuerit hanc ipsam præcipuam & principalem materiam in opere quærere, nosse & applicare.

§. 2. Hic vero abiere in partes, & quot capita, tot sensus, quot nomina, tot res in experimenta vocatæ fuere, vt nihil fere tam absurdum sub sole videatur, quod non in censum venerit. Quisquis enim & hoc nomine amat ranam, ranam putat esse Dianam, de hac enim res agitur potissimum; quisquis amat ceruam, ceruam putat esse Mineruam.

§. 3

§. 3. Hæc dum delibare consultum est, vt καθ' ἄρσιν saltim eruatur veritas, & rectius omnia nouerimus, primo loco, ratione ordinis etiam naturalis, occurrunt Philosophi, vt sic loquamur, elementares, seu in materia prima quærentes desideratum, vniuersalistæ.

§. 4. Vti enim de igne omnes conueniunt, esse hunc instrumentum ad maturandum, digerendum, soluendum, coagulandum, figendum, verbo, ad operis magni magisterium vnice necessarium, & vniuersalem solis ministrum, atque æmulum pararium; ita in reliquis materiam, tanquam subiectum, in quod agat, quidam statuere.

§. 5. Vt analogice & tropice Philosophi per elementa expressere non pauci artis arcana, ita hi proprie, quamuis cum selectu quodam, in hæc posuere spem suam, omnia dicta, vt fit, applicare annisi. Nominatim hinc elegere quidam & scrutati sunt terram quandam virgineam, Adamicam, pinguem, aliamue, in qua putarunt omnium metallorum latitare originem, reperiundam inter mineras metallicas.

§. 6. Alii non in profundis scaptensulis, sed in vliginosis, nigro-rubentibus pratorum & fossarum cespitibus idem se inuenisse putant, persuasi tum aliis rationibus, tum quia per spiritum inde destillatum aurum solui possit, vnde & aurum potabile & sublimiorem effectum præstolantur. Idem dixero de aliis speciebus terræ, seu lutosis, seu lapidosis, in quibus alii occupati fuere, facile huc referendis.

§ 7. Non minus in aquæ elemento laborarunt non pauci, & nominatim hi in rore, alii in pruina, auiculam Hermetis, velut pedica captam, inibi venantes, illa putrefaciendo, destillando, cohobando, separando, ipsis sibi

ſomnia fingendo, in terra iterum reſidua materiam locantes, non minimum vero virium in aqua, ſpiritum mundi ſic captantes.

§. 8. Quin imo, cum omnia ſint ſymbolica, & in aere, conuenientiſſimo naturæ mercurii elemento, ſecretum indagauere, iique, vt & reliqui, non infimæ notæ, ſed ſummates ac eruditi alias ſatis. Et quidem mediante magnete aliquo capere illum ſeu ſpiritum, ſeu mercurium, & corporefacere ſic allaborarunt; hi per folles, & flando largius in aquam, hi per magnetem viuum, de quo in ſeq. vel flando halitum in vitrum, hi aliter & per ſalia id præſtitere, vnde aurum auræ ipſis celebratum eſt, reuera antimonio, non aeri, debitum aliis viſum.

§. 9. Aſt vt noſſe terras, mineralia, & elementa ipſa, aquam & aerem etiam, maxime conſultum eſt; ita & hic natura non facit ſaltum, quæ vbique ſequenda & iuuanda eſt. Elementa ſane omnia & ſingula non niſi remotiſſima ſunt habenda, &, vt ſimplicia, non habent in ſe determinatum illud, nec efformare per artem poſſunt compoſitum, non ſemen, nec vllo modo hinc ſperare licet effectum voto congruum.

§. 10. Fruſtraneam itaque operam ludunt, quicunque κατὰ ῥητὸν, vel ex lectione Philoſophorum, vel applicatione intempeſtiua, vel orali perſuaſione, ad hæc auia delabuntur, nil reportantes omnino, quam inane gaudiolum, cum contra naturam agant, decepti vniuerſalitate prædicata, quod vbiuis præſens & reperibilis materia dicatur.

CAPVT

CAPVT XII.

Consideratio vegetabilium & animalium.

§. 1.

QVæ de materia remotiſſima diximus vniuerſali, ex elementis, idem de particulari ex elementatis, ſeu tribus regnis dicendum venit. Enimuero etiam ex regno vegetabili fuere, qui arceſſere conati ſunt materiam, tum aliis inducti rationibus, tum quod lapidis vegetabilis meminerint Chimici.

§. 2. Aſt, vt itidem analogice lapidem vegetabilem vocarunt, a virtute creſcendi & ſeſe multiplicandi, & lapides vegetabiles & animales arte facti vni medicinæ corporis debentur, nullo modo transmutationi metallorum; ita remouenda ſunt & hæc obſtacula.

§. 3. Pertinet huc, quod refertur caſu flos in pratis inuentus ab artifice, & ſuper aurem locatus, cum æs funderet, caſu illapſus idem tinxiſſe in purum aurum, facile occultando tantillo tincturæ in floris centro; quod Diuus Iohannes Euangeliſta ſcribatur ex virgis aurum feciſſe; quod quidam e Societate Ieſu puluillum ex regno vegetabili confecerit, aurum exhibentem.

§. 4. Hæc vt ſuo loco relinquimus, ita fruſtra fuere, qui ex tartaro, eiusque tinctura idem affectarunt, ne dicamus ex aliis. Vtut enim & ſalia fixa, & ſulphur, ſimile antimoniato, (quod & ex glaſto obtinuimus, & ex carbonibus haberi poteſt,) & vitra ex regno vegetabili confieri

poſ-

possint; non tamen nisi remotissime itidem se habent vegetabilia quæuis, neque in sphæram metallicam abire, per hactenus nota, possunt.

§. 5. Par ratio est regni animalis, nam & in hoc occupati fuere non pauci, tum aliunde persuasi, tum illo *Morieni* ad Regem Calid: Hæc res ex te extrahitur &c. Seorsim hinc alii in vrina, alii in ipsis stercoribus materiam quæsiuere, & in ipsis sic fimetis, seu in sale & sulphure in illis reperiundis, quod Adamus ex paradiso illam scribatur exportasse, & nulla stercora circa Eremitarum claustra reperta fuerint.

§. 6. Tacemus, iam olim ex Paracelsi amphibolia, lusu vel superstitione, & hodie quoque, nostra memoria, adeo absurdos quosdam fuisse, vt ex semine humano, peruerso plane naturæ ordine, idem attentauerint, vel sola recensione refutandi apud prudentes & Christianos, cum ne Ethnici quidem id fecerint.

§. 7. Speciosius superioribus annis ex Indiis experimentum allatum est, seu vis aliena tessæ publicata, per Horis magnetismum quasi capta illa ex aere auicula Hermetis; ex qua per putrefactionem, ex essentia, inquam, saliuæ, (quod per anagramma emergit,) mercurio confecto artem venati sunt.

§. 8. Mittimus, quæ de gallina foliis auri pasta, vt & de dente aureo iam tacto, integris libris olim fuere celebrata, quo de *Sennertus* & *Rolfincius* in *Chimia* legi possunt. Impostura enim hæc fustigatione punita fuit. Superiori vero seculo eadem fabula repetita fuit, autore *Adalb. Tylkowsky Disquisit. Physica* de hoc edita.

§. 9. Demus, esse regna symbolica inter se, & communicare inuicem, seu participare etiam vegetabilia ac ani-

animalia de particulis terreis, & quaſi mineralibus, exemplo tartari & calculorum, qui in cancris ordinarie etiam certo tempore reperiuntur, vnde & oſſa ad vitrificationem apta.

§. 10. Verum eſt, & in vitro conuenire tria regna, adeoque fixitatem quandam demonſtrare, & terras metallicas fixiores ad oculum ſiſti non minus poſſe, & vitriformis lapis ipſe quodammodo deſcribitur, non minus ac vitrum lapis vſitato dicitur; aſt metallicus is & fixus, nec intempeſtiue factus expetitur.

§. 11. Attamen, vt non moueri debemus autoritate ſiue ſummorum virorum, ſiue pro adeptis habitorum; ita nec ratio ſuccinit, nec experientia. Nil reportarunt ἄξιον λόγȣ, nec reſpondit effectus, quantum nos quidem ſcimus.

§. 12. Repugnat vero vnanimis conſenſus Philoſophorum, quibus tanquam expertis, quando cum ratione loquuntur, in ſua arte credendum. Sufficit, diſtinctas ſpecies gaudere diſtincto naturæ concurſu, & ſal, ſulphur, mercurium, in communi conſiderata, non promiſcue admitti poſſe in conſortium, cum propiora longe habeantur; & ſingula ſuo ſemine & fermento diſtingui.

CAPVT XIII.

Mineralia exempta.

§. 1.

DIgreſſum hinc eſt a potioribus ad mineralia, aliis cœco quaſi ductu, & perſuaſione experimentandi propria, aliis verbis & ænigmatibus Philoſophorum allectis, ac commentationibus.

§. 2. Præcipuum inter hæc quampluribus placuit vitriolum, siue vulgare, Hungaricum cumprimis, siue auri ipsius, maiori splendore & spe lucri concepta, illud v. gr. soluendo semel iterumque, imo sæpius, & crystallisando, inde spiritum, oleum fixum & alia communiter magis vel minus nota huc applicando.

§. 3. Accedit, quod *Basilius* idem dilaudet non uno loco quam cultissime, ac evehat, imo animam auri in eodem reperiri asserat, quo de apud *Paracelsum* quoque & *Mynsichtum* extant tum loca, tum processus expressi.

§. 4. Adde, quod colores omnes quasi secum possideat, vel producere possit, magna varietate, & participet de metallis maxime ad hoc opus laudatis, marte & venere scilicet, hermaphroditicum.

§. 5. Ast contra ea nulla hic cohæsio, consistentia, tinctura firma, auri nulla solutio, &, quod potissimum, nulla experientia, quamuis velut casu quodam aliquando e vitriolo Hungarico scribatur aurum prolectum, de quo inprimis legi potest *Becherus in Phys. Subterr.*

§. 6. Sciendum hinc, quod *Basilius* vitriolum Philosophorum intelligat, alibi aperte, alibi velut integro processu sub vitrioli notione tecte descriptum. Idem hinc dicendum quoque videtur de minera martis solari, hodie dicta, seu vitrioli potius, sulphure non pauco fœta, & nostra memoria etiam a quibusdam in hunc censum ac experimentum vocata.

§. 7. Imo & de sale quouis simile sit iudicium, neque enim nisi ad coaguli notionem admittunt sal Philosophi; vnde non audiendi, qui alchimiam, quasi *ἁλὸς χυμίαν, salis fusionem* interpretantur, vt *Chrysippus Fannia-*

nus

nus. Nam quando huius faciunt mentionem, ſolenni more ſuum intelligunt, nec vlla id perſuadere poteſt ratio.

§. 8. Pertinent vero huc & ſalium varia miniſteria, ad ſolutiones, ſublimationes, auri v. gr. mercurii, & aliorum, quibus pleni ſunt Chimicorum libri, vnde & plura inuenta legas. Magiſterium vero artis e ſalino genere non aptare licet, & per ſuum ſal longe aliud, quam formale, intelligunt Philoſophi. Fruſtra ergo ſunt, qui in ſale communi, nitro, & e terra primum eruto, ſale ammoniaco, vel aliis, theſaurum quærunt, quæ rodere norunt aurum, non conſtituere.

§. 9. Non minus hic laudandi, qui arſenicum ſibi elegere; ſeu quod laudentur a *Gebro* tria principia, ſulphur, arſenicum & argentum viuum, ſeu quod ita ſuum mercurium frequenter nominent, præſertim cum iam Caii Imperatoris experimento aurum exinde confectum fuerit, & arſenicum multum de mercurio participet.

§. 10. Aſt volatilius hoc eſt, & deprædans magis aurum, ſeu natiuum intelligatur, auripigmentum, ſeu arte ſublimatum, ne dicam periculoſæ operationis, niſi caueatur, vnde abſtinere præſtat, & manum de tabula. Idem de cobalto, cinco & biſmutho dixero, quæ aliis quoque in vſum vocare placuit.

§. 11. Non paucis quoque cinnabaris habetur pro electro immaturo, & artis materia, non vno argumento. Habentur enim in eadem, ſeu natiua, ſeu factitia, ſimplici & antimoniata, genuina auri principia, ſulphur & mercurius, & hic quidem iam ſemifixatus.

§. 12. Adde, quod *Fannianus* ſcribit, intra menſem inde argentum puriſſimum ſe vidiſſe concreſcere, vt em-

emblema eiusdem myſticum non laudemus, ipſosque Philoſophos non raro hoc nomine etiam vti, & quosdam Glauram Augurelli nil aliud eſſe arguere.

§. 13. Sed vt analogice id locum habet, & per additamenta forte ad ſeparationem metallorum nobiliorum aliquid conferre poteſt: ita ſulphur fixum potius, & mercurius, cuius minera eſt cinnabaris, alius quam vulgi ille, deſideratur, neque cum auro communionem ſymbolicam habet cinnabaris.

§. 14. Agmen claudat verbo tangenda minera Saturni, e fodinis Miſnicis, quam aliqui ſuam fecere; ſed vt non vltra Saturni ſphæram ſibi relicta eminet, ita longe remotius quam plumbum ipſum huc fecerit.

CAPVT XIV.

Conſideratio mercurii vulgi, ſeu argenti viui.

§. 1.



VT reliqua mittamus, res tandem venit ad mercurium & antimonium. Vtraque hæc magnæ famæ, & potiſſima ab artificibus communiter habita materia, aliis in hoc, aliis in altero mirum quantum occupatis, quamuis non vna ratione ac modo.

§. 2. Et quidem pro mercurio non pauca faciunt argumenta. Cum enim materia vera vnanimi autorum claſſicorum ore requiratur eſſentiæ metallicæ; nullum videtur tam aptum, quam mercurius. Eſt enim metal-

ſum quaſi indifferens, fluidum, volatile quidem adhuc, ſed fixandum facile.

§. 3. Seorſim maxime cum auro ſymboliſat pondere & ſubſtantia, vnde prompte illud ſubit, & amicabiliter ſoluit, ſeu ſibi vnit, imo cum omnibus, albore cumprimis gaudentibus, ſe ſociat, minus cum terreis, & marte ſpeciatim; quin omnium eſt materia vniuerſalis & prima.

§. 4. Pollet inſimul ſulphure occulto, & omnes colores in centro ſuo gerit, ac exhibere poteſt, album, nigrum, flauum, rubrum, imo ruberrimum. Ingreſſum ſortitur facilem, quod neceſſarium eſt requiſitum, igne gaudet inſigniſſimo, totus quaſi igneus.

§. 5. Hinc naturali velut inclinatione putatur maxime ad aurum vergere, & in terræ latebris, ignis ſubterranei digeſtione, in aurum fixandus potiſſimum, niſi quod longiori mora opus ſit, vnde quod natura v. gr. centum, vel mille annis factura erat, artifex accelerare & per compendium quoddam effectum dare queat.

§.6. Alii vero ſimplicem illum, ſeu virgineum, ſeu e minera ſua, cinnabari, per alcalina v.g. eductum, alii corporum, vt vocant, elegere, ſaturni v.g. auri, vel ipſius etiam antimonii, quo de *Becherus* præ aliis legi meretur. Alii præparatum, lotum, ſublimatum, præcipitatum, & mille modis alteratum.

§. 7. Fuere &, qui ſibi relictum ſola digeſtione vt alterandum, ita fixandum ſumpſere, quod vno alteroque, ſeu tribus circiter, menſibus peregere, vnde Azoth dictum enatum. Alii amalgamatum cum auro vel argento, & hunc iterum diuerſimode tractatum, vel coagulatum quoque, abſtrahendo, cohobando, fixando, vel ſolum iterum, vel additis acidis aliis, præcipue oleo vitrioli.

§. 8. Abblanditur etiam germinandi virtute, quandoquidem amalgamatus, vel ſolutus & digeſtus, cum auro aureas, cum argento argenteas arbuſculas repræſentare videtur, qua virtute germinandi apparente inueniſſe ſe putant clauem artis.

§. 9. Accedit, quod autores ſummi, iuxta quosdam ipſe *Geber*, & ex modernis *Philaletha* aliique, diſertis verbis mercurium vulgi, non alium, contendere videntur eſſe materiam, ſi non ſolitarium, & rite præparatum quidem, ſaltim ſocium, vt philoſophicus euadat.

§. 10. Contra ea volatilitatem mercurii ſummam obſtare regerunt alii, neque eſſe eundem metallorum ſemen, nec ita cum auro ſociabilem, quin promte aufugiat, nec ignis torturam ſuſtineat, quomodocunque fuerit tractatus.

§. 11. Actum vero agere, qui, ſiue per tritum, ſiue cum mercurio, ſiue ſine illo, per ſalia reſuſcitatiua, ex corporibus ſeu metallis illum repetunt, qualem per putrefactionem ex plumbo etiam aliquando eruimus, & committi ſic velut petitionem principii.

§. 12. Ludere hinc artiſtas mercurium, vt nomine, ita re ipſa, deceptos vel fruſtratos in fine, vnde & *Baſilius* & *Sendiuogius*, maxime vero *Lullius in Codicillo*, & *Eſpagnetus* id pernegant, & communiter plerique alii vno ore negant mercurium vulgarem, ſeu argentum viuum, eſſe Philoſophorum.

§. 13. Alium ergo longe eſſe hunc, nec cum illo confundendum, quamuis & Philoſophorum verus mercurius non vnam habeat ſignificationem, vt qui omne abſoluat punctum, & in principio, & medio, & fine operis.

§. 14.

§. 14. Quicquid horum sit, fatendum omnino est, nec aurum horizontale *Helmontii*, nec Alcaheſt, prout a *Ludouico de Comitibus* deſcribitur, & care venditum fuit, ex *Paracelſo* deſumto proceſſu, nec alios modos ſucceſſiſſe. Sine ipſa vero mercurii additione opus parari poſſe, non credibile eſt.

CAPVT XV.

Diſquiſitio de antimonio.

§. I.

ALterum ſibi locum vendicat ſtibium, ſub antimonii nomine hodie maxime notum, & columnæ inſtar, ſeu baſeos, ſe habens in arte medica, aliis omnibus contra hactenus celebratum.

§. 2. Si audias Chimicorum primicerium, *Paracelſum*, recipiendum in principio non corpus auri, vel argenti, ſed primum ens eorundem; hoc vero agnoſcit & ſcribit eſſe antimonium, quem non pauci alii hinc ſequuntur.

§. 3. Teſtantur hoc ipſum duo elementa metallorum, ſulphur & mercurius, nullibi magis ad oculum demonſtranda, quam in antimonio. Enimuero ſi mineralia ſunt velut anticamera, per dicta, ſi in via ad metalla, excellit in hoc vnice antimonium.

§. 4. Videas hinc modernos ſi non omnes, ſaltim potiores, vota ſua huic largiri, & ſic veteres illos diſertis verbis explicare quoque. Pertinet huc velut anteſignanus laudatus *Paracelſus*, qui *Libr. X. Archidox.* manifeſto cumprimis *cap. 10.* id inſinuat, & ob hoc, vti videtur, di-

lata

lata impreſſio in primis editionibus fere omnibus non extat.

§. 5. Concinunt operoſe *Becherus in Supplem.* & alibi, *Philaletha*, *Pantaleon*, *Eremita Suburbanus*, *Tollius*, *autor MSti Dresdenſis*, aliique tam editi, quam latitantes adhuc. Vnus vero ſaltim *Baſilius Valentinus* videtur a contraria parte ſtare, diſerte abrogans eidem hanc dignitatem, ſi verba ſpectes.

§. 6. Aſt, vti ludit vitrioli ænigmate, illud ipſum potius extollens, ita tantum abeſt, vt rite intellectus diſſentiat, vt potius ſe ipſum explicet ſatis. Sub titulo enim vitrioli, ſuum illud intelligit diſertis verbis, quo totam complectitur ingredientium cohortem, & antimonium ſub veneris velabro inuerſo occulit, faſſus, non vnum SOLVM ſufficere, & recipiendum eſſe. Imo magnetem agnoſcit & materiam primam auri, vnde ſperanda ſit metallorum melioratio.

§. 7. Quin hodie ſunt, qui fictitium *Baſilii Valentini* nomen, vel ideo aſſumptum rentur, vt ſub eodem reguli potentiſſimi innueretur vel occuleretut materia, vnde facile conciliari poſſe videntur in contrarium ab eodem aſſerta.

§. 8. Clarere id magis poteſt, ſi alia quoque luſtremus phænomena. Optime enim *finit* aurum, priuatiue & poſitiue. *Soluit* idem blandiſſime ac intime, vt glaciem aqua calida, refert vnice aquam ſiccam non madefacientem manus; idem vero etiam *dealbat* & calcinat, ſeu fragile reddit, vt pulueriſari prompte queat.

§. 9. Cumque corpora metallica ſibi relicta non apta ſint, vt nobiliora tingant ignobiliora, ſpiritus, tan-

tanquam materia secunda; mercurialis; alterare apti videntur, & ex his antimonium, eiusque claris verbis nominatus regulus, isque a saturno antimonii distinctus, non simplex, sed martialis.

§. 10. Neque opus videtur, eundem denuo in mercurialem mobilitatem vindicare, & sic mercurium antimonii viuum, strictius sumptum, inde parare, cum coagulatus sit mercurius, & hoc ipso æque aptus ad metallisandum, fixandus potius & magis coagulandus, quam reducendus in primum ens.

§. 11. Indurat idem & meliorat, quin calcinat quoque largiori pondere, Iouem, coagulat suo modo mercurium, ne dicamus aptissimum esse antimonium ad vitrificationem, nec de vi agendi, vt in metalla, ita & in corpus, quod vtrumque lapidis est requisitum & formale.

§. 12. Vt adeo probabile admodum sit, hinc arcessi debere mercurium duplicatum, & experimenta in hoc fieri posse vtiliter. Quamuis enim processus *Philalethæ*, clarissime a *Suchtenio* descriptus, ab hoc ipso inculpetur, & aliunde nobis constet, in tingendo minus vel nihil, in medicando multum præstitisse; valet tamen & hoc loco: plus vltra, & in nuda quoque veritate visa aliquid occuli a Philosophis certum est.

CAPVT XVI.

De
Apparatu & ἐγχειρήσει.

§. 1.

N hoc vero cardo rei vertitur vnice, a quo arcent indignos Philosophi quam maxime, eumque describunt

F

bunt quidem, sed suo more; id est, perobscure, vt meris quasi sentibus obseptus sit hic thesaurus, difficillime impetrandus, etiamsi vndique pansus, obuius & obtentus videatur.

§. 2. Suffecerit nobis, & de his quædam balbutire ac speculari saltim. Vbi enim non possumus exactissime & per omnia puncta penetrare ad adyta, satis est in proximiori consistere, & formare interim conceptus saniores, ad firmandam viam, ne frustra simus, vel laboremus.

§. 3. Res illuc redit, vt nouerimus, vel probe saltim examinemus ingredientia, & tractandi modum; error enim omnis & contra ea recta via in diagnosi, seu in actu, vt ita loquamur, signato & exercito consistit.

§. 4. Ingredientia modo vnum, modo duo, vel plura, plerique autem tria fere nominant. Vnum dum dicitur, sine dubio intelligendum id fuerit, quoad radicem, mercurium, ex quo omnia coalita sunt radicaliter metalla; dum duo, sulphur & mercurium explicite magis, non excluso implicito sale, puta Philosophorum.

§. 5. Tria vero, addito hoc, adeoque completo numero, audiunt, scilicet essentialia ac principalia, non exclusis forte minus principalibus, obstetricantibus illis ac ministrantibus. Ita enim videntur hæc optime conciliari posse, ac concipi.

§. 6. Singula vero hæc non nisi ex regno minerali vel metallico repetenda, & licet non possint, nisi vulgo nota, recipi, negantur tamen & hæc recipienda, quod sua, sua solum vrgeant & contendant, siue conceptu, siue præparatione, Philosophorum inquam, adeoque viua, non mortua, & hæc iterum non vno sensu.

§. 7.

§. 7. Alii enim viua putant, quæ ignem & fuſionem non ſunt experta, vnde aurum, mercurium, antimonium, virgineum, ſtatim ſuum, αὐτόθεν καθαρὸν, mineram antimonii, vel loco horum alia inquiſiuere; aliis in ignis acceptione occulentibus ſenſum.

§. 8. Optime videtur iuxta *Philaletham* aurum viuum dici, applicatione ad opus Philoſophicum, alioqui omnino mortuum, nec actiuum, nec ſeminale, non ſecus, ac de grano tritici, vel aliis quibusvis, idem valet.

§. 9. Imo non poſſe viuum ad hunc finem reddi, niſi moriatur prius & putrefiat, (in terram coniectum,) quod de iisdem ſeminibus etiam in ſacris aſſeritur; & hac mechanica frequenter a Philoſophis inculcatur.

§. 10. Non itaque abſoluitur tinctura vno ſolo ingrediente, ſed minimum duobus, quod maris & fœminæ ſymbolo innuere voluere, nec abnuere tamen tertium, ſed velut ſpiritualem amorem vocando magis, quam corporalem, ne ſalis, ſulphuris, mercurii, animæ, corporis & ſpiritus mechanicam repetamus.

§. 11. Non tincturæ v. gr. ſolaris aliqua extractione, & concentratione, vt exhauſta illa diffundatur in alia metalla, quod quibusdam viſum eſt; aurum enim homogeneum eſt præ aliis, neque hinc tinctura alia intelligitur, quam ſubſtantifica & effectiue magis, quam affectiue talis, a poſteriori.

§. 12. Vtut vero plurimi vnum fere ac ſolum aurum eligant, nominent ac intendant, tanquam nobilius, potius ac inſtar omnium; non pauci tamen, ipſo *Gebro* præeunte, ob fixitatem, & communes cum auro dotes, etiam lunam in hunc cenſum vocant, vt hinc tinctura duplex philoſophica detur, ad rubrum & ad album.

§. 13. Quamobrem merito locum habet in hac arte compositio, vt auro vel argento electis, & rite præparatis, tanquam basi, socientur quædam alia, quæ & expromant, seu reserent ac pandant centrales vires, & ipsas sibi socient, & vnita ac præparata coniunctim diffundant, immutatiua virtute, penitissime in ignobiliora metalla.

CAPVT XVII.

De Operationibus specialibus.

§. 1.

QVamuis vero mirum quantum varient Philosophorum asserta, quandoquidem alii videntur plane aurum, proprie dictum, reiicere, & magis potentia quam actu tale requirere ac intelligere; non obstat tamen hoc, quin vtrumque locum habere possit.

§. 2. Ipsæ hinc operationes non vnæ designantur. Alii opus primum, die Vor-Arbeit / & secundum, die Nach-Arbeit / solum nominant, illud difficillimum, hoc mulierum, vt vocant, opus. Alii tres operationes agnoscunt completas, de quibus ex mente *Gebri* optime egit *Philaletha*, præ aliis commendandus & legendus.

§. 3. *Basilius* totidem capitibus, duodecim seu claues, seu operationes requirit, describit, & nominat. Nobis satis erit, animo figurare & cum dictis iungere receptas duas operationes principales, proprias, intrinsecas, & essentiales, solutionem & coagulationem.

§. 4.

§. 4. Solutioni ſubſtare videntur, eamque illuſtrare ac exhaurire, imo coincidere, extractio, calcinatio, compoſitio, putrefactio; Coagulationi fixatio, fermentatio & multiplicatio. Vtrisque obſtetricantur præcedens purificatio, pondus, regimen ignis, & colorum ſubſequens mutatio.

§. 5. Reuera enim non tam diuerſi actus totidem, ſed conſecutiui effectus, gradus & expreſſiones inſigniri videntur. Hinc omnibus præmittenda & præferenda eſt clauis vniuerſalis, mercurius, tum ſimplex, tum maxime duplicatus, quem Rebis vocant, eiusque tractandi vlterior modus.

§. 6. Quis, quæſo, neſcit in chimia etiam vulgari ſolutionem ſymboliſare cum reliquis dictis, idemque menſtruum & ſoluere, & extrahere, & calcinare, pro re nata? Quæ omnia ab experientia, etiam vulgari, ſtabiliuntur ſatis.

§. 7. Hic vero monendi ſunt tyrones, & ſolutionem, & reliqua, intelligendam eſſe itidem, vt omnia alia, Philoſophicam, blandam illam, amicabilem, homogeneam, primi generis, ſiccam & radicalem. Contra ea ſolutiones coactiuæ, per aquas fortes, aquam regiam, & ſimilia factæ, corroſiuæ, ab omnibus vno ore damnantur, vtpote naturæ contrariæ & noxiæ, ſaltim non ſeminales, ſed deſtructiuæ.

§. 8. Sunt tamen, qui & corroſiua talia, vt præparantia, admittunt, vt mercurium ſublimatum, hinc iterum ſeparanda, quale quid etiam in *Monte Snyderi* proceſſu occurrit, ne *Palingenium* huc referamus; alii vero diſſentiunt, vel aliter procedunt.

§. 9. Res illuc redit, quod alii via humida vtantur, vt *Paracelso* id tribui aliisque solet, alii via sicca, vt *Philaletha*. Alii iterum via longiori magisque diffusa, alii breuiori, *Paracelso* autore, deuitatis ambagibus, quas affundere etiam vtplurimum, ad obscurandum arcanum, solent magis.

§. 10. An vero aurum, vel ad album argentum, statim primo loco, an vltimo assumendum, tanquam semen, fermentum, & diffundens, an crebrius soluendo & difflando, recludi debeat, ac possit intimius, an argentum cum auro consociandum, vt *Philalethæ* processum ex Suchtenio describunt, altiori eget disquisitione.

§. 11. Sollicite etiam PONDERIS rationem inculcant, in quo non minus variant, vt assignetur certa proportio. In genere excipiens etiam hic maiori quantitate gaudet, exceptum minori, seminale corpus minimo. Respondet hoc *Paracelsi* methodo, si illum sequi placeat, qui recipit partes iv. part. ij. part. j. Alii anaticam malunt.

§. 12. Præter ipsam ergo materiam tractandam plura de IGNE quoque dici possent. Nobis hoc loco suffecerit, ignem esse etiam hic instrumentum commodissimum, ad omnia illa præstanda, quæ naturæ sunt & arti conformia.

§. 13. Alius vero *externus* statui potest, omnino necessarius, alius *internus* Philosophorum, mollis ille vtrobique concipiendus, digestiuus, maturatiuus, calcinatiuus, sublimans, fixans, blandior in principio, continuus, fortior in fine.

CAPVT

CAPVT XVIII.

De Complemento operis.

§. I.



T ſtatuæ mercuriales viam regiam oſtendere ſolent, quam ipſæ tamen neſciunt, nec calcarunt: ita cum præceptores viui ſint vel nulli, quos adeas, vel rariſſimi, ipſorum Philoſophorum iuſſu muti ſunt conſulendi, & mortui ſequendi, conſultores optimi.

§. 2. Sic & de VASE non vnum dubium occurrit, & ſollicitudo debita, in quo occulendo non minus ac aliis videas occupatos. Communiter nominatur ouum philoſophicum, ſed hoc ipſum geminæ itidem ſignificationis. Notat enim non ſolum analogiam pullitiei, quod fotu continuo debeat materia digeri, & ad finem perdurare; ſed etiam vas externum.

§. 3. Vitreum hoc & firmum requiritur, puta ad opus ſecundum inprimis, quamuis via breuiori incedentes vnum idemque cum primo malint eligere. Vas clauſum & tectum eſſe debere, plerique volunt: ſunt tamen qui & aerem admittunt, ad euitandam crepaturam.

§. 4. Phiolam ſi eligas, videtur illa commodiſſima, neque opus eſt ligneo inuolucro, quod nonnulli memorant. Minus vero, & rotundæ vel oualis reuera figuræ ſi recipiatur, non æque diffundi poſſe ſpiritus apparet, & aſcendendo deſcendere, ſeu figi.

§. 5. COLORES etiam maxime attendendi emergentes, tanquam phænomena externa, quæ de interno mutationis

tionis & progreſſionis ſtatu teſtantur. Et tres quidem ordine expectandi, vel luſtrandi, albus, tanquam initium & fundamentum, niger ſeu medius, & ruber extremus.

§. 6. Valent hi colores a priori, ad eligendam materiam, & præparandam, ſeu ad opus primum, quadrantes præcipue antimonio, mercurio & vitriolo ipſi. Valent vero maxime a poſteriori, ſeu ad opus ſecundum, & ad ordinem ipſum obſeruandum, ne præcipitetur calor & color, natura enim non facit ſaltum.

§. 7. Idem vero & de regimine reliquorum planetarum valet, quod in aſſignando tum colore, tum tempore dierum & menſium allegant, ita vt a mercurio incipiat, & in ſole finiatur. Et hæc colorum mutatio quoque argumentum genuinæ ἐγχειρήσεως prædicatur: ſi enim immutata maneat materia, vix bene ſperare de progreſſu licebit.

§. 8. Hinc TEMPVS quoque tangendum eſt abſoluendi laboris. Longiſſimum ad duos vel tres annos nominari ſolet, quo de *Augurellus* videri poteſt. Ad annum, ſeptem, nouem, vel decem menſes definiunt, qui in medio conſiſtunt. Ad quadraginta dies *Paracelſus*, triginta *Lullius* ſaltim prorogat.

§. 9. Iuxta *Heluetianum* artificem, cuius veſtigia etiam alibi offendimus ſymbolica, & hodie prouectiores feruntur terere, intra triduum vel quatriduum tinctura obtineri poteſt; imo intra tres horas *Maria Prophetiſſa* perfeciſſe ſcribitur, quod tamen de tertia operatione, (multiplicatione,) ſaltim explicant alii.

§. 10. Ita vero, ſi Deus Opt. Max. annuerit, habetur ſolubilitas, digeſtio, expanſio, fixatio & malleabilitas, verbo,

verbo, opus perfectum, thesaurus inæstimabilis, isque per se ipsum multiplicabilis, beneficio mercurii, seminali illa tinctura imprægnati, & breui tandem mora perficiendi.

§. 11. Tinctura ipsa tantopere expetita, duplex est iterum, in fluido, quale experimentum ante paucos annos Francofurti ad Mœnum factum & repetitum, & sicco, puluillo rubinescente, vel flauescente solum, vt apud *Heluetium*, ponderoso, & in minimo summe actiuo, quali operatus est & alter Berolinensis artifex, eodem anno ac tempore fere.

§. 12. PROIECTIO ipsa in plumbum, mercurium, quin & alia metalla ignobiliora, prius fusa & calefacta satis, fit cum cera ordinarie, inuoluendo illi tantillum tincturæ, tum ne perdatur, sed colligatur intimius, tum vt flamma inde consurgens & excitata actiuitatem & ingressum fœneret penitiorem, igne fusorio fortissimo, cum vel sine folle, adhibito.

§. 13. Resultat inde purum putum aurum, tantæ bonitatis, vt non solum æquet vel superet quoduis natiuum; verum etiam non raro postliminio, ob eminentiam tincturæ, adhuc plus metalli tingat, sustinens cineritii, cæmentationis, aliasque notas probas.

CAPVT XIX.

De
Furno, sumtibus & vsu.

§. I.

Peræ pretium est & FVRNI meminisse. Neque enim opus est laboratorium splendidum, nec in-

ſtrumentorum plurium apparatus, vel furnorum etiam ipſorum varietas & elegantia, quæ chimiæ pharmaceuticæ relinquunt artifices.

§. 2. Quando vero mentio fit hinc inde furni ſecreti & peculiaris Philoſophorum, videtur potius myſtice intelligi vel vas ipſum operi inſeruiens, vel mercurius, mille nominibus expreſſus & occultatus; interim tamen ad ignem continendum, ſubdendum & fouendum furno opus eſt.

§. 3. Alii Athanoris meminere, quem eligit & *Philaletha*, ſeu furnum turritum, quo longius contineri ignis poteſt, quorſum & alia adminicula ſpectant, vt pauco igne multum effici poſſit, & carbonum fieri compendium.

§. 4. Sunt, qui & fimi equini calorem eligunt ac memorant, in quo mercurium figere allaborant: aſt magis caloris gradum ſic innui credibile eſt, quam proprie dictum, fimo præſtandum, opus, qui plane eſt inſufficiens ac debilior.

§. 5. Quidam mediante accenſo ſpiritu vini ignem continuant, & in hunc finem fornaculam cum lampade conſtruunt, quem modum reiicit *Baſilius*; olei fomentum ſubſtituunt alii, ellychnio vtrobique vel communi e bombace, vel ex lapide amiantho confecto.

§. 6. Suffecerit minori gradu ignis arenæ, ad continuandum in catino eundem, pro longiori via ac apparatu, minus enim fere balneum Mariæ, quod vocant, ſeu cum aqua adminiſtratus calor, in vſu eſt, quamuis & hunc modum tangi videas.

§. 7. Pro maiori vero gradu, & via breuiori, hodierni etiam furnum anemium eligunt, intra 2. vel 4. dies

puta

puta administrando, vel repetendo quoque opere, vt taceamus, crucibulo duplicato quosdam circumsternere limaturam martis, quod tamen vix opus, imo incommodum magis videtur.

§. 8. Plura de fornacibus apud *Gebrum*, *Hogbelandum* & *Rupescissam* videri possunt, quæ ipsa tamen fere rem obscurant magis, nisi quod distinctio ignis etiam notabilis sit in elementarem, naturalem, innaturalem, & contra naturam, quo de vid. *Philaletha*, *Hogbelandus*, & alii.

§. 9. Præstat, vno verbo, magis de materia & recto conficiendi ac procedendi modo, quam de furno ignem continente, esse sollicitum; qui enim panis fabricam nouit, verbis *Basilii*, facile etiam coctionem eiusdem inuenerit.

§. 10. Nec de SVMTIBVS alienum erit breuiter disquirere. Vnanimi consensu communiter asseritur, non multos requiri, præterquam, quos aurum ipsum exposcat, de quo tamen vnice & largius impendendo dehortantur fideliter autores.

§. 11. Præstat & hic in medio subsistere, peccare tamen magis in defectu, quam excessu. Requiruntur vero necessarii aliquot, non ita multi, ad carbones, vel alia ignis fomenta, ad materialia pauca illa, & vasa.

§. 12. Imo temporis ipsius, victus, experimentorum & laboris habenda quædam est ratio, vnde vt nimis viles sumtus non sunt impendendi, ita qui alias ludicris vanisque rebus impenduntur sæpe, vt sua quemque trahit voluptas, huic potius studio dicari sobrie possunt.

§. 13. Neque cuiuis ardelioni, vel aliis quoque promiſcue proceſſus offerentibus fidendum eſt, vel ad labores ſe offerentibus, quod in aulis frequens eſt. Quamuis enim Alchimiſtis non ita credatur hodie, vix tamen ſatis caueri poteſt, ne fallaris.

§. 14. Quodſi Deus annuerit, vſus Lapidis Philoſophorum decantatus eſt (1.) ad metalla ignobiliora tingenda in perfecta; (2.) ad roboranda viſcera, ſpiritum vitalem, & tollendos ſic morbos, chronicos inprimis, alioqui per naturam curabiles; (3.) ad gemmas artificiales, (4.) ad vitrum malleabile reddendum: (5.) ad dignoſcendam Dei Opt. M. admirandam ſapientiam, vel ſola cognitione contento animo; (6.) ad vitam longam & ſic producendam &c. Tacemus pietatem, eleemoſynas, & alia.

CAPVT XX.

De Abuſu Alchimiæ.

§. I.

NOn vno modo etiam in abuſum ars vocatur, quem tangere & hoc loco in compendio non inconſultum eſt. Liceat vero latius ita vocare omnem illam vel theoriam vel praxin, quæ abludit a re ipſa, & ad alia licito illicitoue modo applicat.

§. 2.

§. 2. Sunt, qui ex professo negant, lapidem Philosophorum auri materialis conficiendi esse medium vel medicinam, arbitrantes totum illud opus non esse nisi auaritiæ vel persuasionis vanæ prætextum, indeque nata figmenta.

§. 3. Ne vero sine vsu esset hæc Philosophia, statuunt moraliter potius intelligendos esse Philosophos, siue primam & vltimam causam scrutatos, alios materiam, alios generationem & corruptionem, mortem ipsam, alios non nisi Deum Opt. Max. singulos hoc vel illud velut lapidem, seu terminum atque principium, in quo omnis cogitatio acquiescat ac figatur, posuisse.

§. 4. Seorsim vlterius Christiani progressi ad diuina & sacra applicauere hoc ipsum, duplici fere differentia: alii negantes vniuersam artem, vt *Glissentus* seorsim, præter dicta, *Tractatu Morali de L. P.* & ad bonum hunc sensum trahentes; alii affirmantes quidem, sed applicantes nihilominus ad vniuersa quasi religionis arcana, sobrie adhuc paulo, (vt volunt,) & velut analogia quadam, vel allegoria, & symbolis, vt *Petrus Iob. Faber* in *Alchimista Christiano*, per totum.

§. 5. Quodque hi coniunctim, idem alii sparsim, & velut aliud agentes, hinc inde faciunt. Imo alii grossius omnino, ex ignorantia Philosophiæ & Chimiæ ipsius, tria principia chimica, materialia illa, ad Sacrosanctæ Trinitatis mysteria perquam absurde & tantum non impie applicant.

§. 6. Quidam omnino, non contenti vno alteroque loco, v. gr. de auro apud *Esram lib. IV.* ipsam Sacram Scri-

pturam paſſim huc detorquent, & maxime *Canticum Salomonis*, *Apocalypſin*, & alia, vnde materiam, colorem & nihil non arceſſunt ac applicant, ne dicam vniuerſam Saluatoris noſtri paſſionem, mortem, reſurrectionem, adſcenſum ad cœlos & reliqua huc trahi.

§. 7. Vt vero laudanda eſt in omnibus ac vtilis pietas, ita & hic cauendum, ne ad abſurda talia, & tantum non ipſius atheiſmi auia dilabamur, extra oleas vagando, & falcem in alienam meſſem temere mittendo, maxime in his, vbi omnis ratio captiuari debet.

§. 8. Non enim omnino hæc mens fuit Philoſophorum, non finis auaritia, non religionis cura vel profeſſio, ſed arcanorum naturæ, & diuinæ ſapientiæ ſcrutinium, quibus terminis contineri debet, non euagari, vel aberrare ars hæc, nec negandum, eſſe diuinum donum.

§. 9. Multo minus abutendum hac Philoſophia ſagaci ad auaritiam, ad voluptates, vel promiſcuam etiam propalationem, ac intempeſtiuam oſtentationem, facile damno futuram tum corporis, tum animæ.

§. 10. Nec omnia, nec nulla applicanda ſunt tam ex profanis, quam ex ſacris potiſſimum, ſuperſtitioſa ac vana imaginatione, vbiuis ſobrie & chriſtiane philoſophandum, vt in terminis debitis maneamus; ſin ſecus fiat, manum de tabula.

§. 11. Tangendus vero denuo & ille abuſus eſt, ne fallatur, vel ſpem vanam ſibi quis concipiat, fraudulentia quacunque inductus, multo minus malitia & prauitate, adulterandi aurum vel argentum.

§. 12. In ſcopulos hos incidunt, præter alia, qui in

mercurio vulgi coagulando, vel ſiniſtre tractando occupantur, tum aliis modis, tum maxime cum venere & Ioue. Ita meminimus, qui mercurium cum Ioue coagulando & miſcendo, fabricando inde monetam, ſupplicium capitis ſubiere.

§. 13. Ita perquam frequens mos eſt, abuti ac delectari dealbatione veneris, ſeu cupro albo, quod acceſſione arſenicalium potiſſimum confieri ſolet, addita etiam lunæ parte. Inde vero parata vaſa, cochlearia, orbes, ſpeculorum ornamenta, aliaque decipiunt, quod artificem genuinum non decet.

CAPVT XXI.

De *Particularibus.*

§. 1.

DVplici in Alchimia loco mentio fit vniuerſalium & particularium (1.) quoad *materiam*, vbi vniuerſaliſtæ dicuntur, qui ex primis & vniuerſalibus quaſi principiis, v. gr. rore maiali, vel materia prima, per dicta, laborare ſatagunt. (2.) quoad *tincturam*, *vniuerſalem* vocando lapidem Philoſophorum, quod omnibus metallis tingendis ſufficiat, & vniuerſale hinc ſit morborum præſidium; *particularem*, quando ſeorſim ex hoc vel illo, citra lapidem Philoſophorum, obtinetur aurum vel argentum.

§. 2.

§. 2. Cum vero de reliquis ſatis, pro compendii ratione, dixerimus, operæ pretium eſt & breuiter particularium meminiſſe. Et in his vero, tum de re ipſa, tum de modo & proceſſu, qui non minus ſæpe inter arcana habetur, diſſenſus autorum & abuſus non vnus occurrit.

§. 3. Sunt, qui negant penitus particularia, facilius eſſe rati, ipſum lapidem conficere, quam particulare aliquod etiam ſimpliciſſimum, quod ſit vtile: vnde & rarius paulo meminere claſſici ſcriptores particularium, vel, ſi quod admittunt, velut ramum ſaltim, vel riuulum concedunt, ex vero fonte ortum, vnam ſolam viam agnoſcentes.

§. 4. In illo tamen ſollicito ſcrutinio artis & metallorum deprehenſum fuit, non eſſe de nihilo penitus etiam particularium tractationem, ſed cum fructu quoque in his, modo ſobrie id fiat, occupari poſſe artifices.

§. 5. Vtut enim plurimi proceſſus hinc inde vel deſcripti, vel caro pretio venditi, ac vendibiles ſint, partim obſcuri, partim falſi & ſuſpecti; re ipſa tamen, & per experimenta curatiora probati quidam admitti poſſunt & debent.

§. 6. Cum enim non ſolum, vt ipſi adepti fatentur, in metallis ignobilioribus in receſſu reperibile ſit aurum & argentum, tam internum, vt vocant, ſeu in potentia, quam externum, ſeu actu etiam reperibile, & diſperſum; cur negemus, ſi non illud, ſaltim hoc, nec ſine lucro æque repeti inde poſſe?

§. 7. Imo, ſi *Becherum* & alios audiamus, etiam in luto, arena

arena, lapidibus, limo, miculæ tales ſunt diſperſæ, quæ coadunitæ & mediante igne fuſæ ad oculum ſiſti poſſunt, ſeu combinatione aliorum ſeparentur magis in ſyntheſin, ſeu conſurgant velut noua generatione.

§. 8. SIC PARS CVM PARTE fit, vt ipſe vocat *Paracelſus*, ſeu ſeparatur ex aliis nominatim aurum, vel argentum, beneficio ſolutionis, ſeu via itidem humida, quando cum aqua forti, vel aqua regia, vel gradatoria proceditur.

§. 9. Sic via ſicca locum habet, ſeu calcinatio, adhibitis ſimul ſalibus, vitriolo, nitro, alumine, ſale communi, ſulphure communi, mercurio, cinnabari, aliisque varii generis, minori ac ſimplici etiam viſo apparatu, vel maiori: ſeu inprimis cæmentatio, qualem itidem deſcribit *Paracelſus Tom. I. p. 939.*

§. 10. Referri huc poteſt ac repeti transmutatio martis in venerem, beneficio vitrioli, itidem via ſicca, vel humida, vel coquendo hæc duo inuicem mixta, vel extinguendo martem in ſpiritum vitrioli, vel aliis quoque modis, modo non ſuperficiarie, ſed intime ac centraliter fiat illa alteratio.

§. 11. Sic ex amalgamatione ſaturni & mercurii, cum liquore veneris, per ſpiritum ſalis facto, igne fuſionis aurum & argentum demonſtrari poteſt; item ex viridi æris, (quod venerem ſecum habet in crocum redactam,) limatura martis, mercurio viuo, cum aceto & vitriolo, (vel limatura etiam aurichalci,) idem fit, & cum ſulphure ſolo calcinando vel ſaturnum, vel ipſam quoque lunam.

§. 12. Nouimus hoc pacto artificem in vicinia non

parum lucratum, cum luna præ aliis polleat auri portione non minima, & humido ſuo metallico orbata hinc viſa, cum plumbo eandem recuperet.

§. 13. Sic & cum arena marina, vel alia, cum argento cæmentando impenſa, ſeu in vitrum prius redacta, ſeu aliis modis, experimenta fecit *Becherus*, fuſius videndus in *Minera arenaria perpetua*, diſcontinuando ſic corpus metallicum, & expromendi facilitatem promouendo, vbi, vt & alibi, plura alia & egregia habet, huc referenda.

§. 14. Tacemus alia huc itidem facile referenda. Notandum vero, ſæpe in minori quantitate, vel pro ſpeciminis loco, ſuccedere hanc prolectionem, ſed maiori fere aquam hærere in quampluribus, nec reſpondere æque proportionem, vnde ex hoc prouentu æſtimanda ſunt experimenta, cum multiplicationis hic deſint fundamenta.

F I N I S.

L. B.

NOn incommodum viſum fuit addere hic & inſerere TABULAM HERMETIS, & quidem ex volumine de Alchimia, Norimbergæ apud *Ioh. Petreium* M D XL I. excuſo, longe rariſſimo, eiusque *p. 363.*

TABVLA

TABVLA SMARAGDINA HERMETIS TRISMEGISTI

περὶ χημείας,

Incerto interprete.


Erba Secretorum Hermetis, quæ ſcripta erant in tabula Smaragdi, inter manus eius inuenta, in obſcuro antro, in quo humatum corpus eius repertum eſt. Verum ſine mendacio, certum & veriſſimum. Quod eſt inferius, eſt ſicut quod eſt ſuperius. Et quod eſt ſuperius, eſt ſicut quod eſt inferius, ad perpetranda miracula rei vnius; Et ſicut omnes res fuerunt ab vno, meditatione vnius; ſic omnes res natæ fuerunt ab hac vna re, adaptatione. Pater eius eſt Sol, mater eius eſt Luna. Portauit illud ventus in ventre ſuo. Nutrix eius terra eſt. Pater omnis teleſmi totius mundi eſt hic. Vis eius integra eſt, ſi verſa fuerit in terram. Separabis terram ab igne, ſubtile a ſpiſſo, ſuauiter cum

magno ingenio. Aſcendit a terra in cœlum, iterumque deſcendit in terram, & recipit vim ſuperiorum & inferiorum. Sic habebis gloriam totius mundi. Ideo fugiet a te omnis obſcuritas. Hic eſt totius fortitudinis fortitudo fortis, quia vincet omnem rem ſubtilem, omnemque ſolidam penetrabit. Sic mundus creatus eſt. Hinc erunt adaptationes mirabiles, quarum modus hic eſt. Itaque vocatus ſum Hermes Triſmegiſtus, habens tres partes philoſophiæ totius mundi. Completum eſt, quod dixi de operatione Solis.

